DOMINICI LUDOVICI

E SOCIETATE JESU

CARMINA, ET INSCRIPTIONES.

OPUS POSTHUMUM

PARS ALTERA.



NEAPOLI, CIↃ IↃCC XLVI.
APUD PETRUM PALUMBUM.
SUPERIORUM PERMISSU.





DOMINICI LUDOVICI
CARMINUM
LIBER IV.

HEROICA, ECLOGAE, PROLUSIONES.

MODESTISSIMAE VIRGINI DEI PARENTI

CARMEN I.



T me plectra juvant : ſunt & mihi carmina : quamquam
Prima meæ ſunt hæc tenuis molimina muſæ,
Pimpleoſque lares , Phœbeumque advena limen
Ingredior; libet exſortem decerpere laurum,
Furtivaque chely properatum effundere carmen. (*a*)

(a) *Carmen hoc paucis diebus , ſubſeciva , & vicaria opera , ab Auctore elucubratum fuit.*

Virgineis etenim quando hic ſunt omnia plena
Auſpiciis, feſtuſque aſſultat vocibus æther,
Ah! pudor eſt, tacita Vates ceſſare ſub umbra,
Ingratoque diu ſegnes trahere otia Pindo.
Tu mihi, ſeu Cælo miſerans nos reſpicis alto,
Seu noſtras, ut quondam, ædes, tua tecta, reviſis
Aligerum ſtipante choro, tu Diva, canenti
Quæ caneris, præſens ades o; tibi noſter Apollo
Sudat, & obſequio ſibi demeruiſſe Parentem
Gaudet ovans. Tua ſi jamdudum feſta quotannis
Suppliciter læti, ſacram celebramus ad aram,
Votaque, ſpemque tibi generis, primæque juventæ [a]
Tempora, creſcenteſque tuis penetralibus annos
Sacramus, Dominamque ultro, Matremque vocamus,
Huc ades o, numeriſque fave: tua carmine Vates
Munera, Præſidiique tui primordia pandit
Summa ſequens rerum veſtigia; quo calor aut has,
Aut has in partes animum rapit uſque ſequentem.
Nam neque conſuetis Phœbeam legibus artem
Cura premat vincire: modus mihi carminis eſto
Lætitiæ neſcire modum. Vix prima per orbem
Signa, acheronteis late agnoſcenda ruinis,
Extulerat, ſociamque manum ad nova bella vocarat
Agmen agens Lojola; ſuos cum lætus in omnem
Europamque, Aſiamque videt, disjectaque longe
Litora diffundi. Gaudet felicibus orſis,
Et manſura diu, multoſque habitura triumphos
Caſtra animo ſecum reputat; modo cœpta ſecundet
Auſpicio Superum favor; & quæ plurima contra
Invidia infelix Erebi ſociata catervis
Arma parat, vano jubeat cadere irrita niſu.

Hæc

(a) *In Collegii Neapolitani S. J. Ephebeo, ubi Juniores Rhetoricis, & Philoſophis diſciplinis imbuuntur, Sacellum eſt Modeſtiſſimæ Virgini ſacrum: indictuſque quotannis feſtus dies.*

Hæc tacito volvens animo ſperatque, timetque
Anxius : at ſolitum Jeſſææ Matris amorem
Corde memor repetens, ſpondet meliora, ſuamque
Spem fovet; atque illam ſupplex ita voce precatur:
Alma parens Jeſſæa, potens cui Numen, olympi
Sidera, tartareaſque domos, terraſque jacentes
Subdidit, unde audis hominum Regina, Polique,
Tu bona creſcentem hanc ſobolem, tua pignora, præſens
Reſpice: nempe tui numquam fiducia nobis
Ceſſerit auxilii: tibi enim, tibi Diva ſacravi
Meque, meoſque : tua eſt, tibi ſe debere fatetur
Lecta cohors, cui prima tuo eunabula monte,
Nataliſque dies, fauſtumque voventibus omen.
Tu leges, memini; Tu noſtræ inſignia Genti,
Tu Gnati Nomenque tui, Numenque dediſti.
Ergo ades o, facilemque animum, maternaque profer
Pectora, maternoque ſinu tege, Diva, rogantes:
Vindice te, noceat rerum vis nulla, ſuperbæ
Nulla ſtygis: fractæ cedent iræque, minæque,
Et conjuratæ ſocios diſperdere fraudes.
Talia fundebat ſupplex, cum dia repente
Lux oculis objecta, nova dulcedine, mentem
Perfudit. Ceu cum, diſcuſſis nubibus, aureum
Exoriens Phœbus tollit jubar; aere venti
Abſceſſere: jacent poſito placida æquora fluctu.
Namque olli ſuperum ſeſe Regina videndam
Obtulit: huic rutilum toto ſe corpore veſtis
Induit in ſolem; puris argentea plantis
Gaudet Luna premi; lambunt radiantia circum
Aſtra comas. Lateri aſſiſtunt, ſocia agmina, Divæ,
Relligio, & quæ compoſitos Philocoſmia vultus [a]
Semper amat, ſemper ſimiles in pectore mores,

 Atque

[a] *Philocoſmiam hîc Modeſtiam intellige, græco nempe ex fonte: ut mox Areten, Virtutem; Agapen, Caritatem; Agnæam, Caſtitatem.*

Atque Arete, atque Agape, & custos Agnoea pudoris.
Tum sic orantem Virgo est affata: Quod optas,
Pone metum Lojola, feres securus, opemque
Usque meam tua progenies, mea maxima cura,
Sentiet, haud ullis umquam cessura periclis;
Sæviat invidia indignans licet, aut Acherontis
Conjuret rabies. Quin & per damna, per hostes
Sumet opes victrix; & qualis plena secundum
Flumina consurgit ramis felicibus arbos
Ipsis ventorum, atque hiemis firmata procellis.
Omnibus ipsa locis adero: tum si qua minantur
Adversos olim rerum discrimina casus,
In melius referam. Sed quo tibi nostra voluntas
Clarior, & maternus amor; quæ plurima sensus
Impedit humanos, & circumfusa fatigat,
Jam nubem eripio indulgens: En aspice, quæ te,
Quæque tuam tuto foveat custodia Gentem:
His oculis, his inquam oculis tua pignora servo
Cara mihi ante alios. Dixit, blandumque latentem
Conspicuamque simul gemino sub lumine prolem
Miranti ostendit, puraque in luce reclusit
Ordine quemque suo ventura in sæcla Nepotes,
Omnes Lojolidas, patriis virtutibus omnes
Egregios, & quot numero comprendere non est.
Quem qui nosse cupit, liquidi cupit ætheris idem
Discere quam multis rutilent splendoribus ignes;
Aut ubi vere novo jam mitior incipit annus,
Nosse quot hyblæo veniant e germine flores.
Obstupuit visu Pater, obtutuque laborat
Expleri, captamque alta dulcedine mentem
Vix capit ipse suam; nec jam venientia pectus
Sæcla movent, nec visa movent socia agmina tantum,
Quantum in Jessææ auspicio, curaque moratur;
Grataturque sibi, Sociis gratatur: ibi omnis
Corde metus procul abscessit, lætusque precatur.
O, si perpetuam hanc nobis, tua lumina, sedem
Esse velis, Regina; tuo si Numine firmes
Spem

Spem Generis: Precor; &, votum ni despicis, opto.
Nec plura his: nam Virgo: Feres optata, quid ultra
Indubitas? immo hoc certi sit pignus amoris;
Gens tua perpetuas tali pro munere grates
Persolvet memor, atque oculis indicet honorem
Læta meis, festumque diem, & renovanda quotannis
Sacra; dabit sacris Jessæa modestia nomen:
Sed morem tamen hunc jubeo servare minores
Sollemnem, propriumque sibi: Rem sedula curet
Relligio. Simul hæc, simul intersata, micanti
Lucem nube premens, patrio sublimis olympo
Se tulit; & qualem vernantia lilia fundunt,
Lilia, sive rosæ, divinum afflavit odorem.
 Lojolæ interea, media inter gaudia, motus
Mens agitat placidos; & nunc felicia secum
Fata suæ gentis recolit, sortemque beatam,
Nunc oculos, Jessæa, tuos, habitumque, decoremque,
Et vultus faciles, visaque in imagine tota est.
Præcipue tamen illa animo præstanda recursant
Jussaque, sollemnisque dies: quo tempore, quove
Sacra loco statuat. Sed curam his demere dictis
Relligio aggreditur: Mecum est labor iste, meique
Pars operis, teque ipsa locum, tempusque docebo.
Litus ad Euboicum, clara Sirenis in urbe
Tecta tuæ surgunt Soboli, Domus alta, virisque
Digna coli, sibi quos Pietas, atque ardua Virtus
Ascripsit; juvenes ubi prima ætate, labore
Ingenuo exercet Pallas, doctaque palæstra.
Civilesque docens cultus, atque indole dignos
Egregia, faciles juvenili in pectore mores
Fingit agens, rebusque animos majoribus aptat.
Hic sacra festiva celebrabimus annua pompa:
Hoc velit ipsa Parens: neque enim domus altera cultu
Virgineo major, nec gratior altera surgit
Parthenidis Nato, & Partheniæ Genitrici.
Hactenus illa, manumque operi, mentemque ministrat.
Est

Est locus, interiore domus in parte reducta (a)
Seclusus, nulli quo gressum inferre potestas
Certa datur, tecti nisi queis est pervius usus.
Intus tuta quies, clauso ceu floribus horto,
Externos arcet fremitus: tum limina servat
Cura vigil, variusque labor, spesque alta futuri.
Hanc sibi Relligio sedem magis omnibus unam
Optavitque, suisque volens addixit alumnis;
Qua studio, rebusque vacent cælestibus, & qua
Assuescant, curis procul, exercere juventam.
Id reputans, ne forte animos, ne forte remittant
Aut honor, aut rerum illecebræ; postquam omine fausto
Prima alacres posuere novæ fundamina vitæ.
Haud aliter, quam qui vites a matre recentes
(Aut Baccho, aut lætis olim libamina mensis)
In vacuos, actis paullum radicibus, agros
Digessere; locum similem multo ante requirunt;
Ne mutata suas ignorent semina glebas,
Degeneresque bibant succos, oblita priores.
Ergo hæc prima domus, primi de more penates
Sunt Juvenum; donec perfecto temporis orbe
Egressi, (neque enim plus quarta hic ducitur æstas)
Huc mittantur, & huc, jussi contendere cursum
Quo vocat exercenda animo, studiisque juventus.
Interea, quod cuique datum est, sua munera quisque
Lætus obit: pars Aonios accedere fontes,
Musarumque choros gaudet; pars docta Lycei
Limina, & arcanos Naturæ intrare recessus,
Sideraque, æthereasque vias, numerosque referre.
Hinc generis bona spes; prima hinc præsagia: at illi
Non segnes operi incumbunt: labor omnibus unus,
Una quies, certisque agitant sub legibus ævum.
Ductores addunt animos, laudantque, foventque,

Inten-

[a] *Ephebeum Collegii Neapolitani describitur, quo juniores e Tirocinio demigrant ad religiosa litterarum studia.*

Intentos ſtudio Juvenes : cognata miniſtrat
Laus animos , veterumque acuunt exempla ſequentum
Pectora, cumque ipſis creſcunt virtutibus anni .
Hæc adyta, hæc ſecreta domus penetralia Matri,
Jeſſææ Matri , cultu opportuna dicantur.
Hic ex more diem, tanto pro munere , ſacrum
Relligio jubet inſtitui, quem læta juventus
Ipſa colat, meritoſque frequens inſtauret honores.
Hic ædem , atque extructa ſuis altaria donis,
Effigiemque , ubi dia Parens in imagine vultus
Oſtendatque, tegatque , oculos demiſſa, pudoris
Virginei decus: unde ſuos componere pubes
Ediſcat; referantque, ſolo dejecta , Parentem
Lumina , ſed ſuperis animus ſe immiſceat aſtris.
Ex illo ſervatus honos , atque annua ſacris
Dicta dies , plauſuſque hilares , ſollemniaque aris
Munera, & inſcripti Jeſſæo Nomine poſtes.
Salve feſta dies , Cælo quæ candida ſemper
Affulges nobis, & eris quæ candida ſemper:
Nam neque Phœbeæ luciſque & laudis egentem
Optantemque ſuos videat te Phoſphorus ortus;
Luce nites meliore , ſuo quam Numine Virgo,
Luminibuſque refert; geminoque a ſole coruſcas
Purior, & metuis nullas formoſior umbras.
At nos interea , tangunt quos gaudia , quoſque
Matris amor ſtimulis ultro non mollibus urget,
Te prece, te votis poſitam celebramus ad aram,
Teſtamurque hilari propria hæc ſollemnia cultu ;
Turaque, feſtivoſque ignes, & florea ſerta
Addimus , & memores, ſi qua eſt ea pompa, Camenas.
Tuque adeo noſtræ decus , & tutela juventæ
Mitis ades Regina , tuoſque aſſueta vocari
Huc faciles, huc flecte oculos, fauſtiſſima nobis
Sidera ; quoque homines cultu, Cælumque ſerenas
Aſpice nos: tua cura ſumus : tibi ſacra, tuoque
Auſpicio Soboles, creſcens ceu ſilva, ſub auras
Tollitur, ac tuta Matris ſe protegit umbra.

Et

Et nunc illa quidem tacito sub pectore secum
Vota fovet, votisque ipsos prævertitur annos.
Tempus io, jam tempus erit, cum clara suorum
Factaque, virtutesque Patrum, laudesque secuta,
Te duce, quos populos, quas non lustraverit urbes!
Jessæumque ferens ignota per oppida nomen
Incendet late flammis Cælestibus Orbem.

S. ALOISIO GONZAGAE

POST EXORATUM FERDINANDUM PARENTEM

SOCIETATEM JESU INEUNTI.

CARMEN II.

Gonzagæ devota dies, quæ candida nobis
Usque redis, tecumque pio sollemnia cultu,
Lætitiamque refers, o si sperata referres
Gaudia, quæ tandem sedatis motibus affert
Aurea pax nimium nostris e finibus exul!
Scilicet illa hominum multo jam tempore mores,
Aut pertæsa leves, aut aversata superbos.
Invida nempe diu miseras discordia terras
Bella ferens agitat, cæcasque accendit in iras,
Incertisque trahens studia in contraria votis,
Huc animos, atque huc animos impellit, & omnem
Turbat agens propriis periturum viribus Orbem.
Ecquis erit modus inceptis? numquam-ne timendi
Finis erit? numquam in melius mutata reducent
Sæcula compositis antiquum cursibus aurum?
Me vero curis procul, & discordibus armis
Ire juvat, sacros Vati, qua Pimpla recessus
Pandit, & Aonios fontes, aulamque recludit,
Exsortemque manu facili dat carpere laurum.
At quis erit citharæ primus labor? o ades ingens
Gonzaga, & pavidis præsens allabere cœptis.

Non

Non alium optarim mihi nunc in carmina Phœbum,
Non Musas: mihi tu Phœbei Numinis instar
Dive aderis, Vatique dabis tua dicere facta:
Ut fluxas jam victor opes contempseris, utque
Te major, Mundique vices, fraudesque, dolosque,
Et qui nequicquam titulos, fascesque superbos
Ingentesque atavum palmas prætendit, Honorem
Viceris, aversique animum Genitoris, & artes;
Atque sacris tandem addideris tua nomina Castris
Jessææ auspicio Lojolæ signa secutus.
Postquam Regali visum est discedere ab Aula, (a)
Et patrias gressu reduci pervenit ad oras
Loisides (revocant cari nam jussa Parentis)
Diversas tacito volvit sub pectore curas.
Namque subit mentem, Cælo quod nuper ab alto
Dum sibi Relligio divinum inspirat amorem,
Senserat. Illa Polo juvenem jam destinat, & jam
Fluxas Orbis opes, fastusque, & limina Regum
Deseruisse jubet; sacramque ad Numinis aram
Seque, suasque Deo spes firmo sistere voto.
Ipse quidem æthereos dudum conceperat ignes,
Optabatque diu, sceptroque aulaque relictis,
Signa sequi, victor quæ jam Lojola per Orbem
Tollebat stygiis late agnoscenda ruinis.
Hoc Superos rogat, atque hoc te Jessæa reposcit
Pronus humi: hæc animum non mollis cura fatigat
Acrius; at non spe cupientem fallit inani.
Multa memor repetit vitæ haud obscura futuræ
Signa, movente Deo; queis ad meliora vocabat
Auspicia, & facili spondebat numine dextram.
Hic oculis sese objecit mirabile visu
Monstrum, quo Superos sibi jam Gonzaga secundos,
Præsentesque videt; dio dum concitus œstro

Vim

(a) *Plures annos S. Aloisius inter honorarios Hispaniarum Principis Ephebos traduxerat.*

Vim blandam precibus Cæló admovet . Ille ubi cunctos
Somnus habet, tacitus patrii fublimia tecti
Alta nocte petit folus loca : tum fuper auream
Stella facem ducens , rutilafque ex æthere flammas
Aftitit, orantique , fuo ter lumine cinxit
Lapfa comas; celerique micans per inane recurfu
Signavitque viam levis, & fe immifcuit aftris.
Obftupuit vifu Juvenis: fimul omine firmat
Spemque, animumque; fimul duplices ad fidera palmas
Tendit ; & , o quacumque poli de parte refulges ,
Salve o lux mihi faufta: fequar tua juffa ; fequentem
Vos Superi , Tuque ante alias mitiffima Virgo,
Cujus ego aufpicium maternaque pectora lætus
Agnofco, accipioque, juves, & vota fecundes.
Aft aliam interea Fernandi in pectore mentem
Vota fovent, dudum bellis affueta Gradivi:
Et galeaque comas premere, & latus enfe; nec ullis
Cedere , fed caput impavidum objectare periclis.
Hinc fibi felices aditus parat, hinc fibi laudem,
Fortunamque domus, patriæque infignia Gentis .
Arma placent, lituique, & non ignava fequentes
Otia, & hoftili fparfæ de fanguine criftæ.
Nam modo pulcher honos, & avitæ nomina famæ,
Sceptra modo, heroefque animo, atque antiqua recurfant
Gefta virûm, memores acuunt quæ ad magna nepotes,
Invitantque alacri virtutum ad culmina paffu .
Ergo hunc Loifidæ Genitor defignat honorem,
Hoc iter impavido fua per veftigia greffu:
Militiamque fequi jubet, & concurrere in hoftem
Acrius, & pulchram petere inter prœlia famam.
Namque videt, qualis juvenili in pectore virtus
Deliteat , quantam attollat prudentia mentem:
Hunc fore , multa virum poftquam firmaverit ætas,
Qui factis Genitorem æquet , qui laudis avitæ
Exfuperetque modum, ferofque extendat in annos.
Hæc fibi pollicitus , ne fpe fruftretur, Alethem,
Quem Pater ante alios fibi fidum expertus, Alethem
Adjun-

Adjungit comitem; belli qui gnarus in usus
Conformetque animum, moresque effingat; & olli
Laudis, & armorum, paullatim inspiret amorem.
Qualis apud Peneum quondam, Chirone Magistro,
Nobilibus studiis sese exercebat Achilles,
Excidio cum jam Trojæ præluderet, & cum
Fortis ad Hectoream firmaret pectora cædem.
Et nunc ille feras jaculo, nunc ense petebat
Cominus, aut aprum, aut fulva cervice Leonem.
Phyllirides illum senior docet. Haud secus ibat
Loisides fido semper comitatus Alethe.
Hic Juvenem studio paullatim incendere famæ,
Hortarique ultro, qua sese attollere Cælo,
Qua valeat nomen claris extendere factis.
Sæpe Atavum insignes memorat, decora alta, triumphos,
Et circumpictos annosa per atria vultus
Ordine demonstrat; seu quos bella aspera, seu quos
AEquavit merito rerum experientia Cælo.
Nec semel his ultro compellat vocibus: Ingens
Te Gonzaga manet victurum in sæcula nomen,
Ni tibi, majorum oblitus, ni segnior istam
Invideas laudem; neque enim Regalia frustra
Tecta dedit fortuna, tuos aut splendida primum
Purpura vagitus tenero suscepit in ortu:
Jam tum non humilem tanto sub pectore mentem
Ingentesque animos ausis ingentibus aptans.
I sequere o, tua quo virtus, quo te tua cursu
Antevolans, magnoque vocat jam gloria plausu.
Pro! quantum patriæ spiras virtutis! inertem
Non tua te patitur dudum clarissima fama
Progenies, nec fas: proprios ostentat honores
Illa, viamque tibi lauro consternit, & ostro.
His acuit Juvenem stimulis, quibus excita virtus
AEmula præclaræ incendatur imagine Gentis,
Majorumque premat grandi vestigia passu.
Sic illum instituit patrias de more per artes,
Arduaque ingentis fortunæ pondera cautus

Ferre

Ferre docet, gaudensque suo de munere, ponit
Prima rudimenta, & speratæ exordia laudis.
Si mentem relevare juvet, curasque remittat,
Non animum ludi pascunt, non otia pectus:
Lustra placent, silvæque, ferasque agitare fugaces,
Aut capream, aut lepores, & amantes ardua damas,
Surgentemque alte ramosa in cornua cervum.
Namque leves tractare hastas, habilemque pharetram
Ferre humeris jubet; & Martis durare palæstra
Corpus, & assumptis late splendescere in armis:
Tum docet, & premere, & laxas qua fundere habenas
Arte queat; nutuque regat, subigatque frementem
Acer equum: seu dum bello concurrere, seu dum
Exercere diem pompa ferat usus equestri.
Nescius ille Polo quæ stet sententia; quasque
Dia Pronœa alias Juvenem designet ad artes.

Jussa tamen Gonzaga facit, seque impiger alto
Sublimem componit equo, caveamque patentem
Ingreditur: gaudet quadrupes sessore, jubasque
Discutit, impatiensque artus tremit: inde ubi primum
Insonuit virga domitor, vocemque magistri
Audiit, assuetusque animum subit ardor, arenam
Calce ferit sonipes, indignaturque morantem;
Inque vicem longos modo circumflectere cursus,
Carpere nunc gyro spatium breviore jubetur.
Ille diu rigidis doctus parere lupatis
Jam gravis incedit campo spatiatus aperto,
Tardaque pacato sinuat vestigia dorso;
Jamque celer glomeratque fugas, jussusque resistit,
Compositisque sonat gradibus: terit ungula crebris
Ictibus in numerum, alternoque volumine terram.
Inde alacer, gaudensque ipsis colludere ventis
In dorsum incumbit levis, erectusque tenet se
Arduus in sublime; solo dein crura reponit,
Alternatque moras, rursumque assurgit in auras,
Turbineoque citus librat sua corpora saltu.
Mox alios iterat cursus, aliosque recursus.

Instau-

Instaurat, varios innectens orbibus orbes.
Mæandri de more, vago qui tardior alveo
Itque, reditque, sibique redux occurrit, & undas
Aspicit ipse retro venientes alter, & idem,
Ambiguisque vehit mirantia flumina ripis.
Interea ex alto Juvenem dum spectat Olympo
Relligio, curasque omnes impendit in illo,
Multa putans, ne forte animum, ne forte retardent
Aut honor, aut rerum illecebræ, petit anxia magnæ
Jessææ folium, & supplex ita pectore fatur.
Quæ mihi jamdudum dederas promissa roganti,
Ut mea Loisides premeret vestigia, cessant
Ah! nimium Regina; tuo nisi numine firmes
Vota, precesque: vides quantum obluctetur, & omnem
Spem Pater abripiat Fernandus, & omnia tentet,
Quo Pueri abducat studia in contraria pectus.
Illum ego, ne tumido quondam Ticinus in alveo
Mergeret, incenso neu flamma exureret igni,
Bis leto eripui: primis tum semper ab annis
Institui, facilem informans virtute juventam.
Adjunctæ comites Metanœa, atque alma pudoris
Servatrix Agnœa: neque hæc te cura latebat,
Virgo; tuo quid enim nobis sine numine gestum est?
Nunc, rogo, tu cœpto supremam, Diva, labori
Imponas Regina manum: tu flecte Parentis
Pectora, namque potes, Juvenemque his eripe curis.
Sic memorat. Cui Virgo: Manet tibi Cara quod optas,
Pone metum: cernes ultro tua signa sequentem
Loisidem; non longe aberunt promissa; nec ultra
Spem dubiam, & trepido versabis pectore curas.
Hunç tu quamprimum [tibi namque arcana recludam]
Lojolæ socium, clarumque in nomen iturum
Aspicies gavisa. Brevi sed tempore vitam
Deferet. Hanc illi statuunt non sidera metam,
Sed cælestis Amor. Merita dein sede recepto
Centum marmoreis ponent delubra columnis,
Centum aras, fundentque preces, votisque vocabunt.

 At-

Atque ubi Supremus Romana e sede Sacerdos
Illum inter Superos, & fortunata piorum
Agmina censuerit, cultumque indixerit Orbi,
Tum vero excitæ studiis certantibus Urbes
Dona ferent, laudesque simul, nomenque canentes
Loisidæ, octonis celebrabunt sacra diebus
Publica festiva testantes gaudia pompa.
Virginei ante alios cœtus, & læta Juventus
Custodem nivei, Servatoremque pudoris
Gonzagam agnoscent: Soliis ille inclytus aureis
Accipietque preces bonus, auxilioque juvabit.
Ipsa decus mirata, polo gaudebis ab alto.
At genitor, cui nunc adeo contraria surgit
Mens animo, in melius referet mutata repente
Consilia; atque ultro nati pia vota fovebit
Auspice me. Pietas patrium expugnabit amorem.
Sic ait, & Divæ vultus, mentemque serenat:
Ceu cum discussis per sudum nubibus, aureum
Exoriens Phœbus tollit jubar; æquore venti
Abscessere; silent positis maria alta procellis.
His dictis, ad se multis e millibus unum
Evocat Aligerum, præsens custodia cuiæ
Cui data Gonzagæ, tutelaque fida; jubetque
Ire, reluctantemque animum Genitoris, & omnem
Vincere duritiem, ac meliorem immittere mentem.
Ille citus data jussa facit, noctisque per umbras
Haud mora, sopito tibi se, Fernande, videndum
Exhibet, & puerumque inter placido ore, virumque,
Atque hominem supra fulgens, his vocibus ultro
Nil mortale sonans infit: Concepta moraris
Grati vota tui nimium, Fernande: Quid obstas
Amplius? invitone etiam pugnabis Olympo?
Desine jam, puerumqne Deo permitte vocanti,
Consilia in melius referens. Neu fingere somnum
Vana putes, adsum Cælo demissus ab alto
Nuntius: hæc fieri mandat Regina: neque ultra
Cunctandum. Quin si generis te cura remordet

Fama-

Famaque, ne dubita: non te cessisse pigebit.
Namque tibi major lustris volventibus, inde
Surget honos, generisque decor: virtute Nepotis
Et Proavi, & toto clarescent Orbe minores,
Nec tua Gens alio se plus jactabit Alumno.
Ille quidem titulos, perituraque sceptra, laremque
Nunc refugit patrium; plaususque exosus inanes
Exiguis vitam tectis, & paupere cultu
Degere amat: Pro! quantus erit cum sede receptus
AEtherea, meritamque tenens virtutibus arcem
Accipiet Divum Divis adscriptus honores.
Illum alacres olim populique, Urbesque reposcent
Damnantem votis, atque exoptata ferentem
Auxilia, & precibus facilem mortalibus: Illi
Sacraque, sollemnemque diem, ritusque dicabunt.
Tune adeo hos ipsi, vana spe ductus, honores
Invideas? Nato Genitor? Sic fatus, in auras
Dilabi tenues visus, penitusque recessit
Aliger, insuetumque domo diffudit odorem.
Ilicet excutitur somno Fernandus: at ipse
Visa memor secum reputans, auditaque, ibi omnes
Quæ prius urgebant, abstergi pectore curas
Sentit agente Deo; Gnatique in vota benignum
Inspirari animum: nec jam mortalia tangunt
Præmia, nec famæ tangit fugientis imago
Subdola, quæ dudum studia in diversa trahebat.
Sed bona spes, & certa fides, nec vana futuri
Eventus tacitum pertentant gaudia pectus.
Ergo mutatæ melior sententia menti
Jam sedet, & tacitus quidam in præcordia sensus
Incidit, ut ros in teneras placidissimus herbis.

Parte alia interea Gonzagæ pectora motu
Urgentur vario: qui se tandem exitus, aut quæ
Spes maneat: neque enim invito Genitore licebit
Ferre pedem, aut tacitum patriis excedere terris.
Atque animi dubius pendet, ceu navita vasto
AEquore, cum inter se Boreæ luctantur, & Austri,

Imperiumque maris sibi quisque affectat, & undas
Pellunt in diversa: metum nox duplicat umbris.
Stabat culta domo tecti in penetralibus ædes
Sacra Deo, tibi sacra, Parens Jessæa, dicarat
Quam pietas antiqua, tuosque in imagine vultus
Finxerat, & multo circum exornaverat auro.
Huc, sese orandi studio Gonzaga ferebat
Supplicis os, animumque gerens, seu surgit Eoo
Lucifer, Hesperio egreditur seu Vesper Olympo.
Sæpe etiam Cæli medium dum candida bigis
Luna tenet, tacitæ per amica silentia noctis
Ocyor e stratis opera ad cælestia surgit:
Non illum tenebræ non illum sæva retardant
Frigora; namque animo calor est, qui frigora vincat.
Ergo hic se Juveni ante aram Jessæa videndam
Obtulit, & clara tectum omne in luce refulsit.
Nam rutilum hinc, atque hinc toto se corpore vestis
Induit in Solem; puris argentea plantis
Gaudet Luna premi; lambunt radiantia circum
Astra comas. Tum sic dictis affata rogantem est.
Exoptata dies tibi jam, Gonzaga propinquat,
Ne metue. Ipsa ego felicis prænuntia sortis
En adsum. Veniam Genitor concedet: Olympo
Sic placitum: Nihil est ultra, quod vota retardet.
Aude Orbis contemnere opes, & pectora Cælo
Digna adhibe, rebusque animos majoribus apta.
Tantum effata Parens; & qualem lilia fundunt,
Lilia, sive Rosæ, divinum afflavit odorem,
Quo Juvenem lene adspirans perfudit; at illi
Gestiit insolita subito dulcedine pectus,
Excussoque metu, nova spes injecta propinquat
Ominis; & paucis abeuntem, ac summa secantem
Sidera prosequitur dictis: Quas dicere grates
Quas valeam, o numquam gemitus frustrata, precesque
Diva meas: tibi enim a puero, tibi quippe sacravi
Quodcumque hoc vitæ. Nec plura effatus, ad ipsum
Continuo jam non durum, jam sponte faventem
Lætus

Lætus adit Genitorem; & voti compos avitam
Deserit exultans, positis insignibus, aulam,
Magnanimus contemptor opum, contemptor honorum,
Et Lojolæis addit sua nomina Castris.

PHILIPPO V. HISPANIARUM REGI
NEAPOLIM ADVENIENTI.
CARMEN III.

EVenere: tuis tandem jam sidera votis
Læta favent, cumulantque novo tua litora, Siren,
Auspicio. Viden' ut pacato nubila Cælo
Diffugiunt, referuntque suos sæcla aurea cursus?
Nam tibi non ultra, dudum satis invida, differt
Gaudia, nec retinet properantem Hispania Regem.
Ergo age, & optatos quando jam cernere vultus,
Affarique licet, claros imitata triumphos
Lætitia plausuque, alacri conamine pompas
Institue: augustis assurgant molibus arcus
Undique, & ingentem Populi testentur amorem.
Immo ego [namque animo subitus (a) calor incidit] orsa
Annuerit si Phœbus, amem per carmina plausus
Rite præire: juvat crines innectere lauro,
Plectra juvant: date plectra manu, date laurea fronti
Serta, Aganippeis crescunt quæ fontibus, & quæ
Cynthius ipse solet festis adhibere triumphis.
Sed quid ego aut Phœbum, aut Phœbi, dona inclyta, lau-
Exoptem? haud aliis præcingam tempora sertis, (ros
Quam quæ Borbonidum surgunt de stemmate, quæque
Hesperiis dudum transmisit Sequana campis.
Vix dum Borbonides soliis exceptus, & aula
Cœperat Hispanas moderari victor habenas
Mente vigil; cum cura animo non parva recursat,

[a] *Triduano labore deproperatum Carmen hoc, ut pompæ festinatio flagitabat, recitavit Auctor in Aula Collegii Neapol. cum doceret humaniores litteras, anno ætatis* XXVI *: quo tempore typis vulgatum est.*

Queis opibus, quave arte suis, quæ maxima, regnis
Consulat, & valido possit custode tueri.
Namque videt late totum digesta per Orbem
Regna, suis parent quæ sceptris plurima, & ipsum
Seu latus Occiduum curru, seu lustret Eoum,
Hispanis Phœbum subjectas cernere gentes
Fascibus. Hinc Peruen prospectat, & Indica regna,
Auroræ populos, & quæ rigat æquora Ganges:
Hinc campos, Benace, tuos; magnumque fluentem
Eridanum, & caræ fines Sirenis, & urbem;
Trinacriamque, Tagumque, & amantes prœlia Belgas.
Hæc uni commissa sibi regna omnia, & unum
Spectare: ipse regat, populosque, & sceptra secundis
Temperet auspiciis. Varios ergo anxia secum
Mens agitat casus, rerumque in imagine tota est;
Astat Avi, mentemque acuit Prudentia, molem
Quæ regat imperii curas partita per omnes,
Crescentemque animum studiis informet avitis.
Talia dum secum tacito Rex corde volutat,
Aut visa est, aut ipsa viro sese obtulit ultro
Italia, & supplex demisit lumina, vultum
Dein leviter tollit; tum sic effata, Moraris
Rex, ait, Hesperiaque una contentus inertem
Te pateris? tua, si nescis, præsentia regnis
Est opus: Italiam cernis, tua sceptra? tumultu
Ut fremat, incertoque animos discordia motu
Concitet? ira cadet, venias modo. Dixit, & auræ
Nulli visa levi se immiscuit. Omnia Princeps
Corde premens reputat; nam se deposcier unum,
Se signari animis: mora nulla, ardentior optat
Dicta sequi. Hic animum nova res oblata volentem
Confirmat; læva Cælum nam parte serenum
Intonuit, rimaque sinum diducere flammea
Fulgur, & Euboico visum splendere sub axe.
Et, sequar o, quacumque poli de parte jubetis
Astra, viam, dixit; tanto sequar omine: vota
Vos mea, si merui, nutu firmate secundo.

Interea fremitu populorum excita ſub auras
Fama volat totum ſubito vulgata per Orbem
Ocyus Heſperium, ſolioque, aulaque relictis
Auſoniam petere, & pelago ſe credere Regem;
Aptari jam vela, rates, ſocioſque parari.
Vota alacres duplicant populi, majorque faventum
Gliſcit amor; certæque omnes jam murmura famæ
Accipiunt, redduntque; ſonant circum omnia lætis
Vocibus: hinc Padus, Auſonios qui interfluit agros,
Hinc Rhodanus plaudit; ſocio reſponſat Ibero
Sequana; concentu tractim maria alta reſultant.
Tu quoque Parthenope, tibi enim, tibi læta parantur
Gaudia, laurigerum Cælo caput exeris; & te
Vix capis ipſa: tuos late teſtantur amores
Cærulaque, & populi reddentia litora plauſus.
Exultant hilares Tyrrheno in marmore Nymphæ,
Euboicæ Nymphæ; fluvioque invectus ovanti
Sebethus gemina ſpectat vernantia ripa
Lilia, dumque fluit, vix ſeſe agnoſcit in illis;
Amne tamen lambit paſſim ſurgentia: quondam
Victrices etenim ſpondent hæc lilia palmas.
Ipſe etiam cumulas inopino gaudia motu
Noſtra Veſeve, cavis toto qui nuper ab antris
Axe tonas, alioſque intus jam mitior ignes
Concipis; & niveo ſubtexis ſidera fumo.
Agnovit Famæ ſonitum de litore Proteus,
Heſperio, tum forte ſuas qui gurgite phocas
Servabat, Regemque, & Iberæ nomina Gentis
Cæruleus vates, venturaque fata canebat.
Nec mora, Neptunumque adit, & quæ cognita dudum
Cuncta refert: probat hæc Saturnius, atque ita fatur:
Scis, Proteu, ſcis ipſe, mihi quæ maxima Regis
Hiſpani ſit cura, mea ut maria undique ſceptris
Illius prono ſubmittant gurgite fluctus.
Illum ego quadrijugo vectus per cærula curru
Seu relit Auſoniam victor, feliciaque arva
Sirenis petere, Eoos ſeu quærere fines

Classe velit, sequar, & lateri comes additus una
Auxilio ducam incolumem, pelagoque juvabo.
Tantum effatus, & increpitans Pater æquore toto
Flectit equos, notumque sinum, sua tecta, revisit.
Est locus Oceano in magno, qua vertice surgunt
Abrupto scopuli, Cæloque undisque minantur:
Quos subter specus, & Tritonum exercita cantu
Antra sonant, refluique cavis e rupibus amnes
Circum rauca fremunt, cunctis genus amnibus unde est;
Neptuni domus: Hîc sævo regit ille tridente
Fluminaque, & pelagi fluctus, horrendaque monstra.
Huc venit Hesperiis rediens Neptunus ab oris.
Forte rotas, currumque cavo Tritones in antro
Adnixi instabant, quo versis denique fatis
Pacatos, Jacobe, petas, tua regna, Britannos.
Et quamquam indignans Thamesis fremit, Anglica nec dum
Colla jugum subeunt, Regemque & jura recusant;
Auspiciis, LODOICE, tuis tamen ille paterno
[Nam Themis hoc probat alma] solo potietur & Aula:
Tu motus animorum, atque hæc conamina victor
Prosternes, solioque potens firmabis Amicum.
Parte alia currum, similes quem struxit in usus
Regnator pelagi, magnoque optavit Ibero.
Cernere erat, quo salsa olim per cærula vectus
CAROLUS Hesperiæ primum decus; Ille ubi classem
Post Nomadum bello edomitam, pulsosque Sicambros,
Ausoniam, Euboicumque sinum, sua Regna, petivit
Victor, & aggestis retulit spolia ampla tropæis.
Ponite cœpta, inquit, dictisque advertite mentem
AEquorei Tritones, adhuc cessatis? Ibero
Currus enim properandus, & acri est arte labori
Instandum; celerate: nec ultra effatus; at illi
Protinus incubuere: æqua descendit in omnes
Parte labor. Gemmas ergo huc, aurique metallum
Et, quas servat opes, ultro invehit Amphitrite.
Augustum effingunt currum; pars orbibus orbes
Impediunt, celeresque rotas; pars tympana ducunt,
Exor-

Exornantque auro ſuper; hi Zephyroſque, Notoſque
Arte premunt, radiiſque addunt. Jamque ordine certo
Surgit opus, plauditque alacri Fortuna labori.
Hæc dum cæruleis properat Neptunus in antris,
Regia conſurgit comitum manus, & ſua venti
Vela vocant, facileſque auræ. Jam litora complent
Hiſpanæque rates, & quam modo Gallia claſſem
Miſerat adjungens, Regemque & juſſa morantur.
Undique conveniunt, ſocios quos ipſe juberet
Eſſe viæ; Procerum primi, & delecta Juventus,
Ductoreſque alii. Sacris tum plurima templis
Vota, preceſque Deo fundunt; qui Numine claſſem,
Qui Regem incolumem Sirenum ſiſtat in oris:
Regina ante alios, cari quam conjugis ingens
Afflat amor, ſolitæque incendunt pectora flammæ.
Illa quidem, ut naves ſenſit, curſumque paratum,
Complexu retinet properantem, atque oſcula jungit
Illacrymans: nec jam optat amans divellier inde,
Certa ſequi, perque alta ſuo comes ire PHILIPPO.
Aſt ubi nec precibus (quamquam ſit mutuus ignis)
Nec lacrymis victus cedit (nam fortior illum
Cura premit) tandem his mœrens compellat euntem.
Ergo ego te patrii linquentem litoris oras
Dimittam, nec vela ſequar tua? concitus ut te,
Me ſine, claſſe vehat Zephyrus? num ſarcina puppi
Magna tuæ accedam? vel me maria alta ſecantem
Terreat aut fluctu, aut Borea nimboſus Orion?
Qui-te-cumque ferent externa ad litora venti,
Et me nempe ferent; erit & ſors una duobus:
Nec metuam incertas, quas non patiere, procellas,
Infelix, pelagove abſens terrebor, & undis.
An potes ah! dulci procul hinc ſpirare relicta
Conjuge? Si quis amor, nuſquam potes: ibimus una,
Ibimus. Hic gemitu ſermonem abrumpit; & auræ
Se rapit heu! manibuſque ſui lapſura viri ſtat.
Semianimem excipiunt famulæ, atque in tecta reducunt.
Jamque adeo exierat Regis comitatus, & Urbem
Lique-

Liquerat; ipse alios inter placido ore PHILIPPUS
Ibat, cum Tyrio fulgens chlamys ambit amictu:
Qualis Apollineæ laurus dilecta coronæ
Aut Pimplæ in ripa, aut Peneia flumina circum,
Ulmorum in medio, frondes late explicat auris.
Visendi studio certatim Hispana juventus
Huc excurrit, & huc; camposque, & lata viarum
Obsedere; juvat gradientes cernere, & ipsos
Præcipue Regis vultus, ac fausta precari
Omina, felicemque secundo Numine cursum.

Interea patriis celerans Neptunus ab undis
Improvisus adest: Regemque ut vidit, amicis
Compellat dictis: Genus alto a sanguine Regum,
Borbonide, mihi quem promitti sæpius olim
Audieram, Regnoque parem, solioque potentem
Hesperio; si nunc animo sententia surgit
Sirenum penetrare sinus, pelagoque subire,
Hoc ego te [currumque manu demonstrat] euntem
Excipiam; hoc tutum Tyrrheno in litore sistam;
Tolle moras. Dixitque, & currum advertit; at ille
Miraturque rotas gaudens, donisque potitur,
Atque triumphanti similis conscendit, & alte
Emicat; inde oculos lustrans per singula volvit.

Namque ibi res Proavum, Gallosque ex ordine Reges
Haud rerum ignarus pelagi Sator, armaque, & urbes
Fecerat, & mira circum descripserat arte.
Ipse inter primos, ostroque insignis, & auro
Admonitu Superum, ac victricia signa sequutus
Promissos aris reddit Clodoveus honores
Sacra ferens, atque arma manu, delapsaque Cælo
Lilia, vexillumque, auro cui nomina flammeo.
Nec procul hinc, magnum adjunxit cui gloria nomen,
Carolus agmen agens, hostem sternitque, fugatque,
Cæsareosque gerit virtutum insignia fasces.

Parte alia innumera consterni puppe videres
AEquora, & instantem Lodoicum, ac bella moventem
Euphrati; longe pavidi tremere ostia Nili;


Jor-

Jordanifque procul ripas, Libanique cacumen
(Nequicquam tamen heu !) properantia vela vocare.
Inde alios, clara extulerunt quos fæcula fama
Carolidas, Capidafque, &, queis modo lilia vernant
Gallica, Borbonidas: Hic te, Francifce, fecundo
Palladiam aufpicio Gallis qui reftituis rem;
Hic magnum Henricum, pietas cui fceptra refignat;
Hic Juftum extuderat, Regum mitiffimus unus
Qui fuit ante alios, & fervantiffimus æqui.
At curru in fummo, qualis medio æthere Phœbus,
Sefe armis ingens, animis ingentior offert
Maximus Heroum LODOICUS; & aurea tollit
Signa, triumphalique innectit tempora lauro.
Ante pedem, fractafque rotas Fortuna, fuafque
Projicit, obfequio major, Victoria palmas:
Refpicit hunc Proavum turba, & miratur ovantem,
Tollentemque animos, & vinci gaudet ab illo.
Talia per currum, Neptuni dona, PHILIPPUS
Dum ftupet obfervans, & avitæ laudis amore
Magnanimam incendunt Veterum gefta inclyta mentem,
Urget equos Neptunus agens, pellitque tridente
Haud ignarus aquæ currum: volat ille per undas
Ocyor, & curfu rapidos prævertitur Euros.
Inde aliæ properant puppes, Zephyroque fecundo
Alta fecant; quaque alta fecant, innare videres
Hinc atque hinc lufu vario delphinas, & omne
Nereidum genus: interea ftupet ipfe PHILIPPUS,
Spem tollit tamen, atque animos læto omine firmat.
Jamque finus procul Euboicos, quæfitaque Regna
Stans celfo in curru Rex afpectabat, & omnes
Neptuno monftrante vias; cum protinus olli
Nympharum ftipata choris pulcherrima Siren
Occurrit, Regemque fuum, fua vota, choreis
Luftrat, & optato vix explet lumina vultu.
Dein propior [puppim dextra tenet, altera fluctus
Submovet] alloquitur venientem, ac talibus infit:
O Amor, ò noftris merito decus addite Regnis,
Expe-

Expectate diu, tuane hic tandem ora PHILIPPE
Cernimus, auguftoque beamur lumine? cum te
Invidit tantum Euboicis Hifpania terris?
Hæc tibi fe, metire oculis, quam maxima tractu
Terra patet longo, fubicit fecura: virebunt
Hic etiam, ne fperne, Tagi jam cognita ripis
Lilia, victricique adolefcent germine palmæ.
Jam pompæ, feftique dies, jam læta parantur
Gaudia, jam populis plaufu longe affonat æther.
Quidquid id eft, fieri pro tempore juffimus; at Tu
Cum ftatues victor Campana in fede tropæa,
O ego quos plaufus, ego quæ tum fefta per Urbem
Inftituam monimenta animi, quibus Ipfe triumphans
Excipiare, tuo accedens laus maxima Regno.
En erit illa dies, cum te tua fceptra tuentem,
Turbantemque metus, irafque & bella fugantem
Afpiciam procul Euboico de litore, & ipfa
Occurram venienti; aulamque ac regia pandam
Limina; tunc alacres circum, focia agmina, Nymphæ
Inftituentque choros, fremituque ad fidera nomen
Borbonidum attollent; laudefque, & clara tuorum
Facta canent: Ipfe ante alios diceris, avitam,
Qui geminas famam, patrioque affuefcis Olympo.
Interea Hefperidum, atque Italum juftiffime Princeps,
Ingredere o, noftrofque lares, tibi debita felix
Tecta fubi; quem dudum animis excepimus, aula
Nunc etiam excipimus, Regnique in fede locamus.
Olli Borbonides vultu fubrifit amico,
Cærula quo, ventique leves pofuere; morantem
Dein currum increpitat: nec longum tempus, & urbi
Accedunt, portufque tenent, claffemque relinquunt.
Ipfa fuum, Populis circum plaudentibus, aulæ
Infert, & merito Regem veneratur honore,
Optatum accipiens folioque animoque, PHILIPPUM.
Ille aulam ingreditur gaudens, altaque corufcat
Sede fedens: qualis rofeo cum furgit Eoo
Cynthius, & tenebras vultu, nimbofque refolvit.

Tum

Tum novus extemplo fatorum nafcitur ordo
Aufpicio meliore, Urbifque apparet imago
Lætior; ipfa etiam vultus a Principe ducit
Fauita dies, placidofque jubet procedere foles.
Incedunt alacri paffim clamore per Urbem
Lætitiæque, jocique, & amantes carmina plaufus.
Macte animo, Rex alme, tuis virtutibus amplam
Fata viam fternunt: Juveni cum fumma poteftas
Tradita, quid dubitas? hunc ad majora refervant
Sidera, majorefque Orbis defignat honores.
Tempus erit, cum te fuperantem fata tuorum,
Sceptraque, virtutefque virum, mentemque, manufque
Fama fuas molita tubas celebrabit, & aftris
Inferet, heroumque choros augebis ovantes.
Sæcula quin etiam pacatis aurea Regnis
Felices revehent Duce te, teque aufpice curfus.



ECLO-

ECLOGA I.

Cum Nuptiæ Caroli Borbonii *Regis*, & M. Amaliae Valburgae *sollemni pompa celebrarentur*.

MELISAEUS, MOPSUS.

Mel. HOc verum est? urbana tibi spectacula tantum
Mopse placere? per arva tuas, perque avia passim
Ut nullo custode sinas errare capellas?
Mop. An non his fruerer, quando est concessa potestas,
Quæ pater indulgens nobis bonus otia fecit?
Nec tamen est adeo pecoris neglecta relicti
Cura; vices, aderat, qui tum suppleret Alexis.
Mel. Custodem narras vigilem! qui scilicet omnes
Aut somno, aut nucibus ludens consumeret horas.
Mop. Gratia Dîs superis, nulli furesque, lupique
Insidias hodie meditantur ovilia circum.
Mel. Sic puto: sed quæ te tantæ Sirenis in Urbe
Detinuere moræ? prima cum luce profectus
Occiduo jam sole gregem, caulasque revisis.
Mop. O Melisæe, quis insuetæ miracula pompæ
Explicet, aut verbis æquet quæ plurima vidi?
Ut vidi, ut stupui! novitatis imagine captus.
Mel. Nempe lupi Mopsum prius aspexere; vel ipsum
Errantem solos vidisti Pana per agros;
Quandoquidem tanto stupuerunt pectora visu.
Mop. Quid mihi tu memoras nequicquam Pana, Luposque?
Tota Urbis facies in morem ornata theatri;
Ordine dispositi longo per lata viarum
Surgebant picti contextis molibus arcus,
Ceu cum per pagos, & compita sæpe solemus
Aut lauro, aut myrto vestitos fingere cervos,
Dum redeunt lætis sollemnia sacra colonis.
Mel. Tu spectator iners, quasi nil instaret agendum,

Aut

Aut Superi tibi conficerent optata sedenti .
Mop. Quid loquar, ut magnis populorum fluctuet undis
Per fora , perque vias passim, perque atria Siren?
Haud aliter, quam cum nigro sese agmine densæ
Agglomerantque, teruntque viam, redeuntque, meantque
Formicæ, occurruntque sibi, impediuntque vicissim.
Interea miles [tota nam plurimus urbe
Miles erat] jubet obstantes discedere , & omnem
Submovet e medio populum : patet area: cuncti
Arrecti : Venit, ecce venit pompa aurea : Currus
Octijuges gradiuntur, & expectata propinquat
Regina, aspectu qualem decet esse Dianam,
Quam dicunt nitidam mediis incedere silvis.
Vectus equo ante ipsam, nummos qui spargeret, ibat:
Missilibus jactis, cupidum concurrere vulgus
Aspiceres; ut sæpe greges ad pascua nota ,
Utque sues raptant concussa ex ilice glandem.
Mel. Ecquid & ipse domum rapto gravis ære redisti?
Mop. O utinam! sed turba frequens, densusque viro vir
Obstitit, atque animum misere delusit hiantem.
Mel. Non impune tamen Lycidæ fuit ardor habendi ;
Nam tumido turpem vultu, scissaque lacerna
Illum & pastores socii, & risere bubulci.
Mop. Te miror Melisæe , trahit quem nulla videndi
Talia, quæ vix ulla reducent sæcla, voluptas:
Nec populi plausus , nec regia limina curas.
Mel. Curent ista, quibus vacuis licet esse: labori
Instare, & rebus, quorum indiget usus, agendis
Pastores nos, Mopse , decet . Sic sæpe monebat
Me puerum senior quondam pater optimus Alcon,
Montibus in nostris fama non ultimus Alcon.
Vix decimas mea tunc ætas numerabat aristas;
Ille sub argutæ confidens ilicis umbra
His teneram dictis mentem formabat amicis :
Luce magis , Melisæe, tuo dilecte parenti,
Si poteris vitam contentus ducere parvo,
Regales æquabis opes: minus indiget, optat

Qui

Qui minus; at cupidis contra nihil est satis umquam.
Non opibus cupidi, quamvis fortuna secundet,
Non herbis saturantur oves, non fontibus horti.
Tu juvenum fastus, tu limina divitis aulæ,
Aulæ heu! tecta fuge, & vacuæ ne jungere turbæ.
MOP. Vera Senex (quid enim inficier?) Melisæe, monebat.
MEL. Nec semel, aut iterum; sed sæpe audita, tenaci
Tempore ab illo altis animo radicibus hærent.
MOP. Hærebunt eadem nostro sub pectore: mores
Tu monitis Patris, ipse tuis componere discam.

ECLOGA II.

EODEM ARGUMENTO.

CELADON, MOERIS.

CELAD. Hîc cecinit nuper Lycabas: hîc Mœri, canamus,
Dum vacat, & nullis agitantur pectora curis:
Nam tibi servat oves vicina in valle Menalcas,
Et mihi custodit nassas, & retia Milcon.
MOER. Quo-me-cumque vocas, Celadon, quo jusseris, ibo.
Quamquam nostra tuæ rauca est collata camenæ
Fistula; ceu niveis Cornix, aut Noctua Cycnis.
Sed, rogo, quid Lycabas cecinit? quæ caussa canendi?
Namque illum perhibent facili deducere vena
Carmen, & ornatos ex tempore promere cantus.
CEL. Pauca quidem recolo, tacitus quæ mente notavi,
Et mecum sola repetens meditabar in acta.
Huc ades, o Hymenæe, faces incende jugales:
Regi Sponsa datur Carolo Valburga: sereni
Ite dies; nullæque obstent a sole procellæ.
Jam pompæ, festique chori, jam læta parantur
Gaudia, jam cunctæ subsultant plausibus oræ.
MOER. Non tantum Lycabæ cantu; sed Apolline digna
Materies hæc est, Celadon; neque gratior ulla
Lito-

Litoribus nostris, nostris aut collibus umquam
Audita; atque utinam mihi tunc licuisset adesse.
CEL. Vidisses hilari plaudentes voce sodales;
Plurima namque manus juvenum convenerat: ipsos
Vidisses per prata greges, per cærula pisces
Saltibus in numerum festas agitare choreas:
Atque antra, atque auras resonare, atque æquora cantu.
MOER. Me nemus interea, & colles tenuere Dicarchi
Errabunda gregis vestigia pone secutum.
At tu perge referre: tuis, si non grave, saltem
Explebis referens sitientes versibus aures.
CEL. Ludite per virides, bona pubes, ludite campos,
Dum licet, & secura Deus facit otia terris.
Cernitis, ut meliore nitescant lumine soles;
Ut placidæ nullis turbentur flatibus undæ;
Arvaque vernanti lætentur ut omnia vultu!
Ludite per virides, bona pubes, ludite campos.
Cetera quid referam? neque enim per singula possim
Ire memor, numerosque omnes, & verba tenere.
Namque canebat, uti peregrino ex orbe secundis
Auspiciis Regina Italas advenerit oras
Parthenopen sceptris auctura, & prole Parentem.
Utque favor populi fuerit comitatus euntem
Undique, vicinæque excitæ plausibus urbes.
His addebat aquis tumidum majoribus Albim,
Albim nescio quem, cujus de flumine ripis
Accessisse tuis famam, Sebethe, canebat.




ECLOGA III.

PASTORIS, PISCATORISQUE CERTAMEN.

LYCIDAS, MOERIS.

Lyc. Cur non, Mœri, graves cantando fallimus horas,
Quandoquidem nobis operis nihil instat agendum?
Moer. O Lycida, sicco quæris de flumine lymphas:
Non opis est nostræ; neque mens est omnibus una.
Lyc. Si placet, alterno referemus carmina cantu,
Carmina, quæ nuper magnæ Sirenis ad urbem
Certantes cecinere simul Zephyræus, & Alcon;
Notus olympiaci Piscator litoris Alcon,
Incola Pausilypi Pastor Zephyræus amœni.
Moer. Et placet, & meminisse reor: nam sæpe solebam
Audire, & numeros recolens, & verba tenere;
Alternis dum sæpe cava sub rupe canentes
Hinc pecudes, illinc mirati e gurgite pisces.
Ergo age Pastoris referens tu carmen; at ipse
Mox repetam quæ Piscator respondeat Alcon.
Zeph. O quæ Pausilypi servatis culmina Nymphæ,
Laurea (si merui) mihi nectite serta canenti.
Alc. Tuque o piscosi custos Galatea profundi,
Projice non vacuas ipsa hæc ad litora conchas.
Zeph. Dum mea silvestrem meditatur fistula musam,
In numerum pecudes agitant per prata choreas.
Alc. Dum resono argutum scopuli de vertice carmen,
Plaudentes ludunt saltu Delphines in undis.
Zeph. Non ego vel Faunos medium vidisse per æstum,
Vel timeam igniti collem superare Vesevi.
Alc. Non me, dum fragili sulco vada salsa phaselo,
Terreat, aut Scylla, aut monstris horrenda Charybdis.
Zeph. Felices nimium, Pastorum gaudia, silvæ,
Atque umbræ altorum nemorum, campique jacentes!
Semper ego vestras meditabor carmine laudes,

Semper & arguti reddent mea carmina colles.
ALC. AEquora piſcantum vos o fauſtiſſima votis,
Et quæ vernanti gaudetis litora muſco;
Semper ego tenera verſus modulabor in acta,
Et ſcopuli, & vitrei diſcent mea carmina fluctus.
ZEPH. Tityre paſcentes per devia rura capellas
Ad fontes age duc: medio ſol altus olympo
Excoquit arva ſiti: numerum mox ipſe notabo.
ALC. I celer, i Doryla, fluitantes æquore naſſas
Inſpice, fallenteſque hamos, & retia ſerva,
Ne malus abripiat Celadon ſub gurgite piſces.
ZEPH. Colle ſuper viridi ſedeo dum lentus in umbra,
Et teneras nimio defendo a ſole capellas,
Invitant placidos, curarum oblivia, ſomnos
Hinc avium cantus, illinc levis aura ſuſurro.
ALC. Rupe ſub æquorea vacuus dum frigora capto,
Expectoque vigil notas ad retia prædas,
Dulce canens animum relevat Doridallus: at ipſi
Saxa per, & ſcopulos fluitans immurmurat unda.
ZEPH. Quam juvat autumni referunt dum tempora fructus,
Poma ſub arboribus facili decerpere dextra:
Mox ubi jam ſaturæ veniunt ad mulctra capellæ,
Collectam ſpumante ſitim depellere lacte.
ALC. Dulce per æſtatem Zephyris mulcentibus auras
Litorea pelagi ripas percurrere cymba:
Mox ubi jam multo curvantur pondere naſſæ,
Ducere ſquamigeros ad proxima litora piſces.
ZEPH. Montibus in noſtris gelida ſub rupe canentem
Paſtores olim doctum ſenſere Menalcam,
Sævaque pacati poſuerunt murmura venti.
ALC. Litore in hoc docta cecinit Meliſæus avena,
AEquoream facili meditatus arundine muſam,
Carmine quo tumidæ pelagi ſiluere procellæ.
MOER. Hactenus alternis memini luſiſſe canentes:
Hactenus & noſtras ſatis eſt luſiſſe camenas.



PROLUSIO I.

CUM POETICAM ARTEM EXPLICATURUS ESSET.



Uum esse cuique pulcrum, parœmia vetus est, eademque verissima: sive demum id vitio nobis verti debeat, qui nostra fere studio quodam magis, quam judicio probamus; sive bono naturæ consilio factum sit, ut quemadmodum parentes liberis, ita suo quisque studio maxime delectetur: ut nimirum ea illectis jucunditate hominum animis, quisque quod suarum est partium & alacriter velit aggredi, & explere strenue possit. Illa certe mortalibus est insita φιλαυτία [a], ut neminem tam modestum, tam attentum, tam oculatum invenias, quin in propriis æstimandis aut falsa rerum opinione deceptus, sibi paullo impensius faveat, aut quadam animi propensione corruptus cæcutiat, atque hallucinetur.

(a) *amor sui.*

cinetur. At quorſum ego hæc? nempe ut hanc mihi veniam deprecer in anteceſſum, ſi partium duci ſtudio potius, quam jure agere videar: ſum enim de bonis artibus, præſertim Poetica, dicturus, hoc eſt de re mea; quamquam non deſunt, qui me prævaricatorem in hac eſſe cauſſa ſuſpicentur: de qua tamen ſi non adeo humiliter, ſi etiam magnifice, contra quam pleroſque velle ſcio, ſentiendum eſſe dixero, nolo quiſquam intercedat, & uſque obtundat. Jam enim ante præmonui, ſuum cuique pulchrum, ut ne quis ægre ferat, ſi mihi meum. Obloquantur ut lubet ii, qui ædilitia quadam, atque cenſoria poteſtate ordines pro arbitratu diſcernunt, ac Rhetores tribu ſua motos in ultimis hærere ſubſelliis jubent. Equidem contra hos libenter venirem, præſertim apud viros, quos in bona cauſſa favere certe ſcio. Verum in præſenti ſatius duxi perpetua oratione non uti. Primum quod apud quoſdam præjudicatis opinionibus occupatos iſto modo ſi agas, opera & impenſa pereat: deinde quod eorum, qui noſtra elevant, aut carpunt, magnam partem, verbo potius, atque animi gratia, quam ex ſententia id faciunt: poſtremo quod ſi qui ſunt dicaciores, ii ſunt patientia omnino molliendi; ſi enim velis adverſari, ferient ſæpius; tum ſi per eandem lineam reciprocatur ſerra, qui tandem finis? An vero convicia nos etiam, ac dicteria reponamus? non eſt noſtrum, niſi cum publice intereſt: qui bonas artes profitemur, humanitate ipſa humaniores, ut ſcopulus aſſilientes undas ſine motu ullo ſuo frangit, ſic nos conviciatores iſtos ſine acerbitate ulla, aut ira. At ne nihil omnino agere videar, aut ne quis forte ſilentium in conſenſum ducat, conſilium eſt ex hoc loco referre vobis fide bona, quid ſuper hac re in Eruditorum Senatu nuper dictum, actum, cautum ſit. Vos date operam, & aures; neque enim adeo difficilis erit Poetæ venia unius mendacii.

Cum in proxima litteratæ Reip. luſtratione Cenſores eum ſervari morem vellent de ordinibus diſcernendis, quem AElius Pætus, & C. Cornelius olim induxerant,

rant, AEdilibus curulibus imperarunt, ut curarent in posterum loca secerni; si quando ludi præberentur, omnes in promiscuo ne spectarent: logodædalos, & mythologos, quique e lyceo non essent, ad prima subsellia accedere sibi non placere. Vix Edictum Censorium in vulgus manavit, cum ingentes illico turbæ; neque enim hæc sine eorum offensione, qui in deteriore caussa ponebantur, fieri potuere. Ad hoc, magnum semper in Rep. Rhetorum nomen, & favor Populi, quem cum utilia suadendo, tum ludicris oblectando mirum in modum sibi devinxerant, rem eo videbantur adducere, ut parum abesset, quin tumultum decerni oporteret; nec deerant, ut fit, qui aliquid occulti ligni suggererent in hanc flammam. Quod cum Cos. M. Fab. Quintilianus timeret, optimum factu censuit, de ea re primo quoque tempore ad Senatum referre; præsertim cum & Urbanus Prætor, & Senatores aliquot idem flagitare jamdiu instituissent. Igitur solemni formula, *Bonum factum*, præmissa, edixit, se ad XII. Kal. Novemb. cum prima luci Senatum in æde Apollinis habiturum: qui Patres, quique conscripti, quibusque in Senatu sententiam dicere liceret, frequentes adessent. Tum per apparitores edictum appendi jussit in pilis, & columnis, U. D. P. R. L. P. [a]

Ad dictam diem turba convenit frequentissima: Turba, inquam; Nam post Jul. Cæs. Scaligeri censuram, modum splendoremque pristinum Senatus amisit: allecti passim in hunc ordinem semibarbari, semigræci, semilatini: nulla jam census & ætatis habita ratio: modo quis AEsopi fabellas triverit, patet curia: si quis centones male consarcinatos comparaverit, assuit illico quasi palmatæ tunicæ latum clavum: denique Senator audit, quicumque nugarum aliquid proferat, etsi nihil sit in eo salis mercurialis, immo Neronianas thermas, ut dici-

(a) *Ut de plano recte legi posset.*

dicitur, valeat refrigerare. Itaque oppleta jam curia, cum fparfim adhuc ftarent Patres, muffantefque, & muginantes, e curuli fua furgens Fabius, *vultu dextraque filentia juffit* (*a*). Mox verba facere fic cœpit.

Parvis de rebus, ac minime neceffariis P. C. confuli vos hodierna die nonnemo putaverit: ii fcilicet, qui litteras, quæ humaniores vocantur, leve quiddam effe, ac nugatorium exiftimant. Ego vero, qui ab illis ita diffentio, ut nihil effe contendam, quod aut magis exquifitam, ac reconditam doctrinam requirat, aut majores ex fefe pariat fructus, de fumma Reip. agi puto, dum agitur de honoribus Rhetoricæ facultati vel decernendis, vel confervandis. Quoniam vero meæ partes funt magis exquirendæ fententiæ, quam dicendæ, vofque rem jam tenetis Patres, ut relationem demum faciam, Q. F. F. Q. R. S. [*b*] de Cenforio Edicto, deque iis, qui Rhetores, ac Poetæ appellantur, quo loco, quo numero fint habendi Q. F. P. (*c*)? Dic tu M. Cato. Primus hic fententiam rogatus eft, quod eo tempore Conful defignatus erat. Ad Catonis nomen, alta quies, arrectique animi: erat admiratio viri integritate, conftantia, feveritate notiffimi. Et M. Annæus Lucanus e poetarum fubfelliis ad adolefcentes quofdam, poetas e nupero fœtu, qui circa affidebant, intento in hominem digito, Hic ille, inquit, Cato, *Juftitiæ cultor, rigidi fervator honefti, in commune bonus* [*d*]. Ipfe vero furgens infit.

Sæpenumero P. C. multa verba in hoc ordine feci; fæpe de ambitione noftrorum Civium, de nimia judiciorum clementia queftus fum: nec paucos ea cauffa adverfos

(a) *Luc. L. I.*
(b) *Quod fauftum, felixque Reip. fit.*
[c] *Quid fieri placet?*
[d] *Luc. L. II.*

fos habeo : fed amicitias Catoni deeffe , fus deque fero; Catonem deeffe Reip., hoc enimvero non patiar . Nam quæ hæc factio eft, ut qui magiftratum in Rep. nullum gefferint, ii juxta nobifcum honores obtineant? an Phrafeologi , nugarumque Architecti fe ulla ex parte cum Philofophiæ Doctoribus conferant ? At utilitatem afferunt non afpernandam. Audio: fed quid eft, quod afferre poffint , præter poeticas quafdam fabulas ad pueriles annos hilarandos compofitas , & aliquot levia poliendæ orationis præcepta; cum fatius effet in moribus , animifque componendis occupari ? Rhetorum ego ftudia non improbo ; verum fuo quemque velim fe metiri pede. Quare ita cenfeo, quæ majores noftri , quæ XII. tabulæ inftituerunt, ea retinenda effe: Quod Cenfores edixerint, ne qui Rhetorum ludos habent , quique eo conveniunt, prima fubfellia adirent, id eos recte , & ordine, exque Rep. feciffe: ita cenfeo, & hoc amplius; qui contra faxint , eis aqua Caftalia , & igni poetico interdicendum; atque ad frigidas Grammaticorum Infulas in glaciali Prifciani pelago relegandos.

Affedit Cato, poftquam dicendi finem fecit, affenfu vario . Nam Confulares omnes dicta laudabant ; e Patribus multi verbo confentiebant, alii pedibus in fententiam ibant . Jamque Rhetorum res in extrema tegula ftare videbantur; prope enim aberat , ut Senatus decerneret . At ipfi , quorum ferrum in igni erat , huc illuc circumcurfare, prenfare Patres, orare ut carmen cognofcerent , neque hanc fibi laudem delibatum irent, atque imminutum: quidam poftulare, ut Catonis fententia divideretur ; alii ut more majorum finguli confulerentur. Quid multa? clamor jam erat , & confufæ voces , & mera ovilia. E Poetarum fubfelliis, ubi libentius, quam inter medicos verfabatur, Hieronymus Fracaftorius identidem illud inclamabat : *O nimium miferi nos, & genus ærumnofum*. At Jun. Juvenalis , ut erat ingenio præfervido, ac libero, Aliena, inquit, judicia non moror ; *Si fortuna volet , fiam de Rhetore Conful.* Mitius aliquanto age-

agebat Petrus Bembus, qui, Rogo vos, inquit, P.C., ne cogatis implorare auxilium Tribunorum.

Interea Cenſor Criſpus Salluſtius, & cum eo Prætor Varro id operam dabant, ut motus comprimerent, animoſque pacarent; vultuque ad majeſtatem ſimul, ac lenitatem compoſito, Quid hoc rei eſt, inquiunt, P.C.? ita-ne placet incondite obſtrepere? nolite ſultis id facere, quod fieri non decet. Ita-ne ſervamus diſciplinam Curiæ? ſedete, adeſte cum ſilentio: qui nec paruerit, qui turbaſſit, lege Mutia damnas eſto.

Vix tandem effectum, ut quieſcerent. At Conſul veritus, ne turbellæ rurſum fierent, aut altercando iret dies; ac ne quid Senatus auctoritas detrimenti caperet a tribunitia interceſſione, rem cenſuit haud longius protrahendam: ſed interim curandum, ut æquiorem ſe tantiſper Poetis oſtenderet: iis delinitis, ceteros in officio facile contineri. Noverat enim genus hominum inquies, atque verſatile; quodque tragœdias non minus in Curia, quam in theatro daret. Igitur neſcio quid ſecreto cum Corn. Tacito collocutus, negavit ſe iturum per ſingulos; per ſaturam, ac ſine ordine ſententias exquiſiturum, propterea quod multa eſſet eo die frequentia: tum juſſit dicere, ſi quis vellet, e Poetis.

Nihil iis potuit optatius fieri: videbatur enim cum honorificum, tum ſalutare, ſententiam ipſos perrogari, cauſſamque dicere pro voto. Itaque capita paulliſper inter ſe contulerunt, deliberaturi, quiſnam eas ageret partes? Plerique voluntatis inclinatione propendebant in Ennium Patrem, Poetarum nempe abavum, & aboriginem, atque adeo tatarum pappum; ſed affecta jam ætas, & fractæ vires illum huic oneri ſubduxerunt: nam neque ſtare uſquam, nullo circum adnitente, poterat; neque ita continenti ſpiritu verba facere, quia orationis curſum identidem interrumpere cogeretur. P. quidem Maro, & Q. Flaccus in Senatum eo die non venerant; incertum qua cauſſa: fortaſſe an apud Mæcenatem aliud agentes; ipſorum enim res, fautore Augusto,

gusto, erant in tuto. De reliquis non satis conveniebat, aliis in alium consentientibus. Quare ne tricando tempus eximeretur, placuit super ea re Julii Scaligeri judicium esse, hominis nasutissimi, quique non semel Poetarum Nationem lustrasset universam. Sed neque hac successit via: morosus enim Judex, atque hypercriticus, dum sibi nimium tribuit, suoque supercilio fastidit omnes; dum singulos notat, neminem probat; atque ita dum nemo illi satisfacit, omnibus est ipse odiosus.

At litem diremit recens quidam Poeta' nuper adeo in Senatum admissus; qui, si sua opera uti vellent, habere se dixit, quæ proferret in medium, fortasse non ab re, Carmen scilicet sibi paullo ante in villa Musarum a Poesi dictatum ea gratia, ut in Senatu ejus nomine recitaretur. Audierat enim suam rem agi: quoniam vero lege sancitum esset, ne mulieres cujusvis negotii caussa Senatum, aut Curiam adirent, idcirco subsidio sibi alterum comparasse: æquum propterea esse, ut quibus in rebus ipsa per se Poesis interesse non posset, in his operæ illius vicaria fides poetarum supponeretur. Percommodum est omnibus visum hoc sive caussæ patrocinium, sive novitii poetæ commentum. Ille vero, facta dicendi potestate, nihil ultra cunctatus, Poeseos partes, ac personam expressit in hunc modum.

Non ego, si studiis animum levioribus orno,
Despicienda tamen carmina nostra putem.
Et suus est etiam Phœbo decor, & sua Musis
Gratia; non adeo nomine Pimpla vacat.
Nec mihi, virtutes inter dum specter & ipsa,
Turpe sit extremo nempe sedere loco.
Cur aliquis certat, numero ne simus in illo?
Scilicet invidiam dos aliena movet.
Quisque sua placeatque sibi, & se jactet in aula,
Famam quisque sua, qua valet, arte petat.

Si

Si quis, ut in vulgo, sedeat sine pectore Judex,
Invidus & primi me neget esse chori;
Non ille ingenuas æquatis lancibus artes
Æstimat, ex merito quæque probanda suo.
Certe ego, Palladia venio quod digna palæstra,
Præsidio potui demeruisse lyræ:
Illa locum, sedesque parat, ceu sacra ferenti;
Illa satis, nomen quo tueamur, habet.
In quascumque voles animum deducere curas,
Res erit ingenio qualibet apta meo.
Si placet arcanos naturæ intrare recessus,
Hinc etiam multum carmina laudis habent:
Æthera si, Cælique vias metiris, & astra,
Hac quoque jamdudum parte recepta lyra est.
Altius assurgas, ipsumque accedere Numen,
Et patrii cupias tecta subire Poli,
Mente Deum sequar ipsa: etenim non gratior ulla
Materies nostris versibus esse queat.
Cælicolum sacras celebrare ad carmina laudes,
Hæc fuit inventa gloria prima lyræ.
Ast ego Socraticos dicor corrumpere mores,
Blanda leves molli dum sequor arte jocos:
Atque alius clamat, vanos ne tange Poetas,
Præbent illecebris certa pericla suis.
Dum legis incauto vernantes pollice flores,
Vipera te nocuo subdola dente petit.
Mista venenato dum sumis pocula succo,
Hoc magis illa nocent, quo magis illa placent.
Quid redimita juvat foliisque, & floribus hasta,
Tinctaque quid dulci spicula melle juvant?
Si tibi non minus hinc certo mors imminet ictu,
Si laceros habeas non minus inde sinus?
Arguat immerito, quicumque hoc nomine Musas
Arguat, eximius sit licet ille Plato.
Non ferit innocuas, si qua est ea culpa, Camenas;
Qui reus est, pœnam criminis ille ferat.

Si scelus admittat nimio mens ebria Baccho,
Num scelere admisso vitis agenda rea est?
Pieriam in vitium si quis deflexerit artem,
Non erit hæc artis culpa, canentis erit.
Crimen habent lusus, quos non pudor almus honestat,
Quæ mentem lædunt carmina, crimen habent.
Quos sua non probitas commendet; jure Poetas,
Et tanti dignos nominis esse negem.
An quia ficta docet rerum commenta Poesis,
Carminibus nullum pondus inesse putas?
Quamquam ficta cano, verum est quod amatur in illis;
Hinc tibi, si nescis, fabula nostra placet.
Falsaque, quæ veros imitantur imagine vultus,
Decipiunt blandis, erudiuntque modis.
Utiliter certe Vatum commenta leguntur,
Non etenim vani sunt ea plena joci.
Carmine compta placet, quæ sit minus aspera, virtus;
Utilitas dulci mista lepore juvat.
Adde, quod æternum, referent quem carmina, vivet;
Cedit Apollineo tempus & urna choro.
Alterius-ne igitur famæ quæ consulit, illa
Cogetur famæ damna subire suæ?
Quæque alios numeris alto transmittit Olympo,
Audiat inferior, deliteatque solo?
Non sinat hoc pietas, non si qua est debita factis
Gratia, non recti conscia jura sinant.
Caussa perorata est: melior sententia vincat:
Sive, quod o utinam! sive negetur honos.

Novi poetæ carmen admurmuratio varia subsecuta est: verum non tam meditatum apparuit, quam subito calore fusum; atque eo potius recitatum, ut ne silentio periret, quam quod caussæ quidquam prodesset. Auctorem porro mediocrem se Poetam videri maluisse, quam bonum Causidicum. Utcumque tamen ea res nonnihil de Catonis severitate remisit, Patrumque animos immutavit.

Jam-

Jamque hilares, & tamquam voti compotes Poetæ difcurrebant. Pauci tamen e Pedariis a Catone, cum impedimento effe vellent, quominus fieret SC., poftulabant, ut numeraretur, ac fententiæ pronuntiarentur. Sed M. Tullius Cicero, vel quod Rhetorum nationi favebat, vel quod veteres cum Catone gerebat fimultates, recenti animorum inclinatione utendum ratus, Confulem admonuit, uti difceffionem permitteret. Annuit ille; verum antea rogatum voluit Accium Plautum; idque non tam ne fententiam Catonis parvi facere videretur, quam ut hominem ea honoris fignificatione fibi, atque Ordini conciliaret: nifi enim ejus effet habita ratio, verebatur ne proximis Saturnalibus comica feftivitate Senatum in fcena ludos faceret apud Plebem. Is igitur, ut erat verficolore fynthefi, ac peregrina veftitus, cui togulam a Dionyfio Lambino pro tempore accommodatam fuperinduxerat, furgens occepit:

Bene habet P.C., huic vos nunc bonam bonos laudem dare Gregi, qui bonus eft, & ad bonos affert bona. Sed quod bono fiat modo, tecum ego hodie M. Cato tria verba non commutaffim; nam hoc pæne iniquum eft Comico conari de fubito agere tragœdiam: qui ftudiis certant, non fententiis, haud æquum faciunt. Mihi alia mens eft, deftringillare homini fenatorio non juvat, neque hoftire contra. Sed nifi moleftum eft, meam fententiam viciffatim proferam; fin odio eft, dicam tamen. Tum e tabella recitavit in hunc modum:

Quod M.Fab.Quintilianus Conf. V.F.(*a*) de Poetis Q. F. (*b*) placeret? de ea re Senatus ita cenfuit: Poetas quidem hoc præfertim tempore utibiles effe, reique tum litterariæ, tum bellicæ accommodatos, qui res bene geftas

[a] *Verba fecit*;
(b) *Quid fieri*,

ſtas famæ conſignent, quibuſque liceat ſine fraude mendaciis uti: quare jus merum eſſe inter Patricios adſciſci; non eos tamen promiſcuos. Ea re Senatui placere, uti lex Annaria ſervetur, ne quis ludi magiſter minor annis xxx. inter ſummates allegatur; qui ſecus, vitio alle&tum videri: tum neque iſagogicum, neque ſtrenam, neque minervalia ſperare fas eſto. De Congerronibus, Inanilogis, Nugivendis, atque hujuſmodi, ſirempſe legem eſſe.

De Diſcipulis, uti Cenſores Criſp. Salluſtius, Juſtus Lipſius, alter ambove cognoſcant, ſtatuant, judicent. Quos probaverint, iis liceat inter ſuperiores nomen profiteri. Quos rejecerint, rejiculi ſunto, ac rejectanei; juxta cum grammaticis habentor. Neu præmia virtutis indigni ferant cum injuria meliorum: qui locutuleii, qui ſomniculoſi, qui quarta luna nati, honores ne petant: ſi petere auſint, ulmeum dumtaxat magiſtratum gerunto.

Itemque quoniam iſthac Rhetorum dignitas quibusdam ægre facere videatur, Senatum huic rei proſpectum, præcautumque velle. Quibus dolent oculi, uti Cornel. Celſus diſpiciat; ſiquidem collyrio ſanari poſſint, illinere ſatagat quotidie mane; ſi eo non poſſint, apophlegmatiſmum adhibeat, qui ore commanſus pituitam, capitiſque humores deducat. Stomachicos, quique alienam gloriam concoquere non valent, uti Hieron. Fracaſtorius procuret: horis antemeridianis omphacii dodrantem in ſextariolo propinet, cathartici pulveris admiſcens quantum ſatis erit; veſperi defigat cucurbitulas; tum arboris peregrinæ ramali cylindrico ſcapulas probe conſcribillet. Si quis huic SC. [a] interceſſerit, Senatui placere, auctoritatem perſcribi. Si quid de ea re ad populum, plebemve lato opus eſt; uti Prætor M. Varro, quod ei videbitur, ad P. P. V. ferat (b).

Finie-

(a) *Senatusconſulto*.
[b] *Ad Populum, Plebemve*.

Finierat Plautus, cum Conſul diſceſſionem permiſit in hæc verba : Qui hæc ſentitis , in hanc partem , qui alia omnia , in illam partem ite , qua ſentitis . Quoniam vero pæne omnium animi mutaverant , Senatus frequens Catonem reliquit . Fabius vero dicis , & moris cauſſa addidit : Hæc pars major eſſe videtur . Deinde Briſſonio mandavit, uti SC. (*a*) Auctore Accio Plauto referret in acta . Poſtremo cum decima jam eſſet hora , Senatuſque mittendus , ſolemni verbo dixit : Nihil moramur vos Patres Conſcripti : ſtatimque omnes conventu ſoluto, exceſſere .



PRO-

[a] *Senatusconſultum*.



PROLUSIO II.

ANTE LOGICAE EXPLICATIONEM

RECITATA III. NON. NOV. MDCCXIII.



Pud Areopagitas lege cautum fuisse, ut ne quis procemio uteretur in dicendo, refert Aristot. in Rhetoricis : videlicet ne quasi per ambages, & mæandros circumducti Judices tempus absumere, nec sine tædio, cogerentur. Qui enim rem ipsam nosse cupit, huic longum esse omne procemium, verissime Plato monet (*a*). Eadem ego lege dicturus huc accessi, AA. O. ne verbis frustra vos onerem flexuosis. Restat igitur, ut eorum, quæ dicenda constitui, argumentum paucis complectar. Sed ne hoc quidem exigi a me nunc volo, aut expectari. Nam antequam selectam mihi materiam propono, ejus seligendæ occasio est exponenda ; neque hæc præpostera dicendi ratio videri debet ; cum sit operæ pretium, ut constabit, ita exordiri. Dabitis ne hanc mihi

[a] *μακρὸν τὸ προοίμιον τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκοῦσαι* : *Plat. de Rep. 4.*

mihi veniam AA.? Sic, opinor, Adeste igitur, atque advertite.

Mense proxime elapso, (per eos nempe dies, quibus procul a curis, procul a turba, more majorum, Urbem rure commutamus, partim animi caussa, partim ut de viatico in annuum iter sibi quisque prospiciat quantum potest) cum essem & ipse in Sosiano, pomeridianis horis domo pedem extuleram aliquando, flexo jam die; ut consueta inambulatio vires levi corporis defatigatione reficeret, & famem præterea obsonaret in cœnam. Erat mecum una Galatinus, vir, si quisquam alius, antiquis plane moribus, & consuetudine non insuavis, judicio tamen cum in litteris, tum ceteris in rebus & acri, & paullo etiam severiore. Erat præterea T. Annius mihi cum primis carus, immo & omnibus; est enim animo quidem in omnes candido, in amicos vero tam propenso pectore ac fide, ut illi conferas paucos, præferas neminem; nemo veritatis amantior, nemini longius abest fucus: indoles homini, ut Musis amicum decet, suavis ac mitis, & nisi juris tuendi ratio postulet, acerbitatis expers omnino: porro sermo non illepidus; præterea tam innoxie facetus, tam sine felle salsus, ac promptus, ut nulli æque debeant quotidianæ confabulationes.

Hos igitur viæ comites nactus, ambulationem colloquiis mutuis condiebamus: dumque aliud, ut fit, ex alio feritur, de iis, quos in hac sollemni litterarum repetitione proloqui oporteret, nescio qua sermonis trajectione, mentio facta est. Hic Galatinus ad me conversus, Et te, inquit, hoc anno audiemus, philosophico jam pallio indutum; nec dubito, quin gratum aliquid nostris auribus in medium pro more sis allaturus.

Cui ego, utinam saltem aliquid; nam ad hanc usque diem ne animum quidem licuit advertere: neque tu, si recte æstimes, vel potius quia recte æstimas, puto me reprehendes. Immo ego, subdit Annius, reprehensione maxime dignum pronuntio: odi homines, qui

remissius agant, quique si quid instet, usque & usque differant. An vires ipsi suas experti, non temere præfidunt? Equidem ut miror ingenium, sic prudentiam requiro. Consilium ipse mihi optimum duco, prospicere semper in longitudinem: sic enim sum, ne vivere quidem possim, si cogar in diem vivere. Sed quæso te, num ea cura aut postrema esse debet, aut in illud tempus rejicienda, quando civitati redditum vel hora deficiet? Si sapis, hic in antecessum rem feceris. Nam altius hic otium, & pinguius, eoque securius, quod nullo ex vicinia interturbante, nullo arcessente importunius ad januam, placida omnia, & quiescentia: atque utinam pax ista domi foret in civitate, ubi ne meridianti quidem otioso esse licet, ac suo.

Ad hæc ego, Optime tu quidem Anni, neque iverim inficias: verum si meo sis loco, mecum una sentias: tempus mihi hactenus defuit, non ego tempori: alia multo sane graviora studia totum hominem requirebant; atque haud scio, an dieculam adhuc impetrare possim vacivam, & juris mei. Tum ille subridens, Bene habet, inquit; quasi vero nesciam ita solere negligentis animi patrocinium quæri. Nam memini aliquando, cum maxime viderere studiis gravissimis abditus totus, a me tamen ex improviso superveniente occupatum esse te, qui ageres alia omnia: memini versiculos, nec te fugit: verum parco, quæ mea est humanitas. Sed heus tu, vin' te cura omni, ac molestia vacuum? Ecce tibi consilium a me, quod si sapias, non recuses: Carmen olim a te conscriptum scio, quo, ni fallor, dialectica quædam continentur; meministin? Nempe, inquam, dicis ludicrum illud, quod recens adhuc a Poetarum palæstra exercendæ musæ gratia composui: memini; sed quid tum postea? Et ille, tenes quod loquor; hoc igitur præfationis loco recitabis. An non satis compendiaria hæc tibi videtur via?

Tum ego: Serio-ne, inquam, Anni, suades, ut quod

quod est jam plerisque notum, hoc a me iterum non sine audientium molestia repetatur? mitto alia; nam quod est per se ineptum, id primo gustu, commendatione novitatis, utcumque toleratur; ceterum iteratum, haud jam ferendum fastidium affert: nosti vetus dictum, *crambe bis, mors est*. Immo vero, adjecit ille, *bis & ter quod est pulchrum*, nam & hoc proverbii loco usurpatum scio: tu me vide: musarum deliciæ nusquam non gratæ accidunt; ne Catones quidem ipsi recusaverint: Galatinus vero hic si aliter sentiat, dissentio ipse ab eo palam. At me, respondit ille, adversarium non habebis; quamquam enim prorsa magis, quam versa oratio mihi soleat arridere, non sum tamen adeo amusus, ut poeticis aliorum studiis audiendis non delecter: quare quidquid est, carmen ego non improbo, siquidem in rem quadret: ne vero judicium feram absque caussæ cognitione, carmen istud in præsentia referri, quando per otium licet, libenter audirem: nisi forte est aliquid, quod huic sermoni prævertendum putetis.

Placet conditio, suscepit Annius; poeticis enim rebus ego semper vaco: hoc autem tempore cum sit nihil aliud, quod libenter agere possimus, multo magis aveo audire: locumque simul commostrans a proximis arboribus umbrosum, ac leviter assurgentem in tumulos: *Hæc*, inquit, *statio est gratissima Musis*: hic pauxillum interquiescentes operam dabimus, & recitanti & nobis commodiorem. Equidem ægre adducebar, ut morem illis hunc gererem; videbam enim, quæ juveni multo ante quasi per ludum excidissent, amissa jam novitatis gratia, si qua inerat, & quem ætas conciliaverat, plausu, nihil reliqui habere, quo probarentur. Ipsum præterea scriptionis argumentum apparebat admodum leve, nec vere dicenti mihi, aut illis audientibus aptum satis. Verum instare Annius, increpare moram, & quasi pro imperio edicere, uti cum ista morositate odiosus ne essem.

Cui ego : novi quæ tua sit efficacitas , Anni : verum hoc ut obtineas non multum pugnaveris: neque is ego sum , qui diu rogari sustineam , ut nonnemo solet , in speciem recusantis quod maxime cupiat . Sed vide sis modo quid jubeas ; ego enim vestrum utrique habeo gratiam , quod eadem opera & vobis veniam recusandi fastidii , & mihi exigendi sustulistis ; nam neque me decet eo , quod oblatum est , timide uti , neque vos gravari, quod ultro depoposcistis. Mox indicato prius Carminis argumento (erat hoc Bylthridis Nymphæ Metamorphosis in vocem , ut ajunt , non significativam , quod Vates a Musa sibi relatum narrat dum e Parnasso in Lyceum proficiscitur); nihilque ultra cunctatus sic incipio:

Magnum iter : ingenti Vatem clamore Lyceum
Jam vocat , & plausus docta Stagira tui .
Emerita Aonio dependent plectra sub antro ,
Et tacitam laurus sustinet alta lyram .
Addit se sociam numeris gratissima nostris ,
Claraque Pierii fama Thalia chori .
Jamque sacros Phœbique lares , Pimplæque recessus
Linquimus ; Amphrysi jam patuere lacus .
Muscus ubi , & placido nitidissima flumine lympha ,
Pictaque quæ virides ripa coronat aquas .
Aura suo latices invitat adire susurro ;
Et numeros augent gutture fontis aves .
Ergo hæc longa viæ relevat fastidia tellus ;
Languidus hic fessum ponit uterque latus .
Ponit uterque latus ; sonuerunt litora circum
Vocibus , incertos rettulit aura sonos .
Surgo , & quæ feriant aures vaga murmura lustro :
Ecce puellares garrula turba chori .
Fallor ? an incompto clamabant carmine Bylthrin ?
Non fallor , nomen Bylthridis illud erat .
Bylthridis ad nomen responsant litora Bylthrin ,
Vocali referunt antra repulsa sinu .

Obstu-

Obstupui, dubiusque animi, quid litora, dixi,
Quid pueri Bylthrin, Musa, quid antra sonant?
Tum Dea sic quassans lectos e gramine flores,
[In manibus flores alter, & alter erat]:
Bylthris erat, Batto Pholoe quam Nympha crearat,
Flumineas inter conspicienda Deas.
Hanc olim, Admeti dum pascis Cynthie tauros,
Verba doces aptis composuisse modis.
Jamque manu citharam, pedibus jam gramina pulsat,
Jam jubet argutos antra referre sonos.
Sæpe ciet calamis pastos ad flumina tauros,
Et decet insuetam fistula sumpta manum.
Verterat in silicem Proles Cyllenia Battum:
Nec moror hic, certo cognita caussa tibi est.
Illa diu miseri fato illacrymanda Parentis,
Mox pariter fatis illacrymanda suis,
Ornabat, vigiles quo solaretur amores,
Floribus ah! patriæ conscia saxa necis.
Forte lacus, Amphryse, tuos Tritonia Pallas
Advenit; horrescunt AEgis, & hasta manu.
Aut vix, aut medius lustrabat Delius Orbem,
Sed puto jam medium verterat axe diem.
Capta loco, positis clypeo paullisper, & hasta
Qua patulum quercus fecerat una nemus,
Fasne, ait, o Nympha (senserunt Najades illam)
Nos etiam vestris implicuisse choris?
Fas reddunt: saltuque omnes librantur in alveum:
Pingitur innumeris mobilis unda locis.
Ecce autem Delphis sese referebat Apollo
Jam non ducturus pastor, ut ante, boves.
Arma videt, tum visa rapit, raptisque potitus
Carpit iter, gaudens imposuisse Deæ.
Furta latent alias, sed non te Bylthri, morantur
Dum te deliciis gramina picta suis.
Diva quidem, vitreis ut erat comitata puellis,
Tuta nimis, Phœbi nescit adesse dolos.

Ut

Ut sat aquæ, choreisque datum, nulla invenit arma:
Indoluit; lacrymas vix tenuisse ferunt.
Tum Bylthrin, si forte virum, si forte vagantem
Vidisset, tulerit qui sua signa, rogat.
Bylthri siles, Phœbique dolos, furtumque recondis;
Heu nimium patriis docta puella malis!
Pœna tacere jubet: prohibent tua Numina, Pallas;
Hæret adhuc, duplici distrahiturque metu.
Dixisses utinam! Nocuere silentia Gnatæ,
Quæ fuerant misero non nocitura Patri.
Sensit enim tacitæ fraudes irata Deæ mens;
Et mihi tu, dixit, tu mihi visa negas?
Utque caput vellet sacræ tenuisse Medusæ,
Quam tenui virga tangere certa fuit!
Quæque, ait, infidi timuisti fata parentis,
Te quoque nequitiæ saxea fata manent.
Vox eris: at vocis sonitu nihil improba finges,
Supplicio sceleri conveniente tuo.
Verba fides sequitur: fleverunt Najades illam,
Flevit & invitis ipsa Minerva genis.
Qua potuit socians Echo ad suspiria luctus
Dicitur e latebris adgemuisse suis.
Me miseram! clamat Bylthris: respondet & Echo:
Saxea me facies heu manet! Illa, manet.
Heu potero finxisse nihil? Nec verius ulli
Responsura sono reddidit illa, nihil.
Jam lapis est, modo Nympha: genæ riguere: manet vox,
Vox manet, at rerum pondera nulla refert.
Quosque vides, pueri doctæ tutela Minervæ
Rident, invisum dilacerantque caput.
Palladis augustum potuit quæ spernere Numen,
Palladiis merito est invidiosa choris.

Finieram: cum Galatinus, Video, inquit, hanc a me gratiam Annio deberi, cujus opera factum est, ut ista recitatione amœnissima oblectarer: nam Poema & leporis, & nativæ cujusdam elegantiæ plenum est visum, atque

atque ipsi plane versus & fluentes, & enodes. Atqui hoc ego, inquit Annius, prænoveram, sed gratiam non reposco, ne pereat. Pleno tu quidem pectore sapis, cui ista sapiunt; & Platonem audis monentem, *ne quis hominem Poetam faciat inimicum*. Ille vero, equidem laudare satis non queo; verum ad Præfationem quod attinet, vix inducor ut affirmem congruere, sive rem, sive locum spectem, sive dicentis personam. Primum enim & muneris tui ratio, & ipsa institutio, recepto jam usu, postulant, ut facultatis tradendæ laudes quam potes amplissime eo loco, ac tempore prosequaris. Hic si tu nobis in scenam prodis cum versibus, vide, obsecro, an opportunius quam, ut ajunt, in Tragœdia Comici. Vereor enim, ne qui audituri sunt quamquam scripta quidem ipsa non improbent, te tamen fortasse reprehendant, qui ista recites; atque ad extremum addant parœmiam, *Belle quidem, sed quid hæc ad Mercurium?* Deinde temporum etiam nonnulla ratio habenda est. An ignoras, qualis hodieque audiat Peripatetica schola? quid moliantur Aristotelicæ doctrinæ Adversarii? quantas adhibeant vires, ut eam deridendam potius, quam excolendam esse sibi vulgus persuadeat? Nunc vero prævaricatorem habere se putabunt egregium, si quam tu facultatem ornare omni ope debueras, eam isto modo ludos facere existimeris. Quamobrem etiam, atque etiam considerandum censeo, ne nos ipsi nostra imminutum ire videamur.

Quæ cum dixisset ille, statim ego, Sapienter, inquam, ut omnia Galatine, ac pro tua experientis viri prudentia; tametsi ab iis, quæ modo dicta sunt a te, nonnihil dissentio. Nam quas principio laudes plena manu in me cumulas, audio quidem, sed in animum non admitto: assensus mei suffragium iis impertiri vetat non tam verecundia, quam ipsa veritas. Neque enim tanti mihi sum, ut non intelligam quid humanitate tua, quid mea dignum tenuitate videri possit, aut debeat. Quod autem de Philosophiæ laudibus mones;

recte quidem : a me vero eo loco nihil plane dicetur; non quod opportunas esse minime putem : quid enim? sanus ne essem, qui hac in re clarissimorum hominum consuetudini repugnarem? sed quod ejus facultatis eximia quædam, & præcellens vis, atque nobilitas major est, quam ut a me prædicari pro dignitate possit; tum notior ubique, atque illustrior, quam ut debeat; nisi forte [quod vetamur veteri proverbio] Solem lucerna velim ostendere. At, inquies, restat igitur, ut nobis tandem cum Annio conveniat de carmine recitando. Minime vero inquam, neque istuc ego ibam: non deerit quo me vertam aliorsum. Quamquam quod vereris, ne gravitas philosophica damnum faciat inter jocos; equidem non magnopere pertimesco. Quis non videat quæ dicendi sit occasio, quis modus, quæ ratio, quis finis? An ab eo derideri philosophia videatur, a quo deinde tam serio sit pertractanda? Non fit verisimile. At nullus certe inde fructus existet. Immo etiam festiva narratio hilarescentes animos facilius præparat : saltem auditores tantisper frontem exporrigent, postridie scilicet contrahendam, ubi primum campanæ vocem audierint loquentis horam esse gymnasii repetendi.

At non decent ista Philosophum. Cur obsecro Platonem deceuit, cur Xenophontem philosophiam vel in convivium deducere, ubi gravissimus certe auctor Varro sermones esse jubet non anxios, & tortuosos, sed jucundos & invitabiles, & cum quadam illecebra, & voluptate utiles. Ut interim omittam Aristotelem, cui libro de moribus decimo, res agere serias ludi caussa stultum videtur, valdeque puerile; ludere vero ut res serias agas, auctore etiam Anacharsi non esse improbandum. Verum hæc ego hactenus, Galatine, non tam ut aliquid afferrem contra, quam ut ne nihil dicerem. Facis tu quidem humane, subjecit ille: sed quid iis faciemus, qui captant unde unde occasionem nostra deridendi? Hos ego, inquam, nihil moror: ut volent rideant, quando ipsis unum hoc est jam super; ubi tamen

res

res feret, nos illos remunerabimur quam simillimo munere.


Dum hæc ultro citroque dicerentur, aggredienti mihi alia quædam in eam sententiam intercessit Annius, vetuitque longius & sermonem, & moram protrahi; meque intuens, Ut revertamur, inquit, eo unde dicendo abivimus, de Præfationis tuæ argumento quieto jam & otioso animo esse jubeo. Nam vide quid tibi ego nunc auctor sum, neque defugiam auctoritatem; licebit hanc ipsam collocutionem hodiernam in medium proferre, atque ita, uti peracta est, fide bona enarrare: si nihil aliud, certe vides tibi demptum in hoc opere inveniendi laborem; neque de dispositione quidquam esse cogitandum, cui tantum ea sint recitanda, quæ una pariter, ut res & occasio tulit collocuti sumus; quare ne in eloquendo quidem erit quod labores, quando sermo noster exquisitus esse non potuit, cum fuerit primum subitarius, atque extemporalis, deinde ruri sit absque phaleris & ornatu: oratio quoque tua quanto accedet propius ad ejus neglectam simplicitatem, tanto futura est propior veritati; cui potissimum curam, philosophus cum sis, & debes, & habes, ut puto.

Facile persuasit Annius quod suadebat: videbam enim isto modo adeo multum laboris mihi detractum, ut pæne nihil esset relictum. Alioquin si aliud quærerem argumentum, ejus rei vel excogitatio, vel œconomia potuisset ab ingenio neque infimo, neque prorsus indocto postulare tum temporis nonnihil, tum studii; a me vero, præsertim occupato jam alibi satis, istuc præstari nullo tempore, nullo studio posse intelligebam; quando vel huic tam nihilo studii peragendo, cetera studia minus fere quam nihil temporis relinquebant. Hæc tamen ipse mecum in sinu tacitus evolvebam, veritus eloqui palam quæ sentirem: expectabam scilicet ecquid annueret Galatinus? idemne ipsi placeret fieri a me, quod Annium velle videbam? nam penes ipsum ut prærogativam,

tivam, ita & suffragii jus in eo comitio esse oportebat.

Ille autem conjectans quod res erat, animadverto, inquit, quid agatur: nempe ut quod paullo ante minime visum est expedire, idem nunc, licet alio in speciem consilio, vobiscum ego censere velim: tum ut si res forte sequius ceciderit, nostro scilicet consilio factum vel defendi, vel excusari queat. Sed quandoquidem vestrum utrique ita placet, quod ad me attinet, non intercedo; præsertim cum ea dicendi ratio majorum exemplis destituta non sit. Atque hic & sedendi finis, & sermonis fuit: quem ego vobis, Auditores optimi, ita uti condictum, fide bona recitavi, nullaque mihi certa proposita materia, si minus locum, at saltem tempus implevi. Haud enim raro accidit, ut nihil dicentes, aliquid tamen dicamus; atque ut in fidibus est quædam manus aberratio sine arte, in qua tamen ars; sic in præfationibus argumentum quandoque est sine argumento; & in iis, quæ levioris videntur momenti, aliquid esse solet, quod rem habeat & pondus. DIXI.

LIBRI IV. FINIS.



DOMI-

DOMINICI
LUDOVICI
E SOCIETATE JESU
INSCRIPTIONES.





INSCRIPTIONUM

CLASSIS I.

DEDICATIONES.

BEATAE VIRGINI SINE PRIMAEVA LABE CONCEPTAE TROPAEVM.

Neapoli.

I

D. O. M.

Conceptae ſine labe Virgini Deiparae
Tvtelarivm Avſpicatiſſimae,
Regiae Familiae, Vrbis, Regni Patronae,
Ob Ivem Neapoli prohibitam,
Hoſtem a finibvs,

Redvcemqve, Victoremqve Regem servatvm,
Innvmeraqve in dies promerita
Grati animi Monvmentvm ac Votvm
CAROLO BORBONIO Rege, MARIA AMALIA Regina
Piis, Felicibvs
Mvnifica largitione ivvantibvs.

II

Magnae Matri
Primigeniae labis immvni
Pietas Parthenopea svpplex.
At tv Virgo Parens
Vrbem
Tvo devotam, tvo sospitam Patrocinio,
Bona precantem, mala deprecantem
Clemens avdi, Potens ivva
Praesens tvere.

III

Virgo
Primaeva procvl labe in Conceptv Sancta,
Erebi
Sine vvlnere victrix,
Sine pvgna trivmphatrix,
Tibi
Hvivs Templi tvtelae
Argentevm in Ara Signvm
Marmorevm in Area Tropaevm
Semper vbiqve devota
SOCIETAS JESV P.

Inte-

Interocreæ in Vestinis.

IV

Sacrvm Magnae Virgini Templvm
Artificvm incvria
Terraemotvs inivria
Bis collapsvm,
Ornatius atqve avgvstivs
Cleri Popvliqve svmptv pvblico, pvblica pietate
Bis excitatvm
Illvstriss. D. Bernardinvs Gvinisivs Archiep. Reatin.
Sollemni ritv dedicavit
An. Rep. Sal. . . .

Ibidem

V

Templvm hoc
Magnae Matri semperqve Virgini dicatvm,
Gemina labefactatvm rvina,
Qvasi gemino fvnctvm fato,
Svis prope e rvderibvs redivivvm
Adnitente Ven. P. Antonio Baldinvccio Soc. Jesv
Coeptvm primo evectvmqve,
Collapsvm rvrsvs,
Splendidivs deniqve largitione pvblica
Cleri Popvliqve pietas
Excitavit, perfecitqve.
Tvm tv Virgo

Qvam

Qvam tibi Interocrea amanter AEdem sacrat,
Illam posthac a rvinis immvnem,
Cev qvondam intactvm a flammis rvbvm,
Perpetvo serva.

FESTO DIE SS. TRIADIS.

VI

SS. Triadi
Vni ter maximo Deo
Sacram festo die pompam
Dexter adi, svbi svpplex
Rex ter Optime,
Hoc avspice
Regnvm feliciter initvm
Habebis felicivs.

Neapoli

VII

AEdem hanc.
Ancillae, Reginaeqve Ancillarvm Tvtelari
Sacram,
Qvo niteret avgvstivs
Anno Salvtis CIↃIↃCCXXIX.
Tectorio, Encarpis, Pictvris, avrata Corona
Basilice ornandam aere svo cvravit
Nicolavs Scacchi
AEdis accola, Virginis cvltor.

Eandem

Eandem
A Terraemotv Anni CIↃIↃCCXXXII.
Sqvalidam, fatiscentem, rvinosam
Tenax propositi, obseqvii tenax
De svo restavrat, a fvndamentis perpolit,
Splendoriqve reddit pristino
Anno Salvtis CIↃIↃCCXXXIII.

VIII

D. O. M.

Aram Diva tibi, tvmvlvm sibi Barbara ponit:
Excipiat cineres vrna, sed ara preces.

S. Mariae Magdalenae de Pazzis
Aram,
Sibi svisqve
Tvmvlvm
Barbara . . . .
Mortalis vitae, immortalisqve memor
P. An. CIↃIↃCCXXXI.



In sollemni pompa SS. Mavri, Pantaleonis, ac Sergii Tvtelarivm vrbis Vigiliarvm.

IX

M e dvce , Pantaleo, cvmqve illo Sergivs vnv M
A gnovere Devm , pompisqve, avlaqve relict A
V itavere nefas, & falso Nvmina cvlt V .
R egivs havd valvit ivvenes avertere terro R:
V ltro animam posvere tvo, Traiane , svb ict V:
S idera nvnc, Caelvmqve tenent, sedesqve beata S .

X

M avre decvs patriae, tvtamen Mavre tvorvm M
A vspice qvo facilis dvcit ad astra vi A
V rbis ades Cvstos, & laeto mvnera vvlt V
R espice , qvae noster nvnc tibi praebet amo R
V tqve tvo liceat Caelvm pertingere dvct V
S is precor vsqve tvi cvra, salvsqve Gregi S

XI

P one tvas, Traiane, minas: qvid saeve svperbis?
A nne pvtas animvm flectere posse mevm?
N on me blanditiae capiant; non mortis imago
T erreat: impavido stat mea corde fides.
A spera qvaeqve ivbe infligi tormenta; svbibo
L aetior : ipsa etiam mors mihi mvnvs erit.
E rgo feras, flammasqve para, ferrvmqve, crvcemqve
O mnis erit nostro pectore poena minor.

Te

XII

Tene palaeſtinis Bethlem prodvxit in oris,
Qvi nobis cvſtos, Mavre, fvtvrvs eras?
Vnde ſalvs orbi, Domino naſcente, refvlſit,
Inde ſalvs nobis, praeſidivmqve venis.

XIII

Vna fides animos caeleſti foedere ivnxit,
Vna tribvs leti ſors fvit, vna dies.
Ergo vnvs pariter, popvlo plavdente, trivmphvs
Omnibvs inſtitvi debvit, vnvs honor.

XIV

S erta mihi, palmaſqve parant, Caeloqve trivmphvm
E gregivm, qvi me cogvnt pro Nvmine vitam
R eddere: qviqve flvit ſecto de corpore ſangvis
G ermine ſvrgentes felici ad ſidera lavros
I rrigat; & noſtrvm tranſmittit nomen olympo:
V ndiqve membra igitvr dimanent ſangvine; qvando
S angvinis effvſi pretivm Devs ipſe fvtvrvm eſt.



SVB IMAGINE OMNIVM ANTIQVISSIMA B. VIRGINIS, CVI AGNOMEN *A Principio.*

Neapoli

XV

Qvae nobis referat facros in imagine vvltvs,
  Artifici haec prima eſt picta tabella manv.
Haec te, Virgo, refert; primos cvi facrat amores
  Parthenope, avſpiciis tam bene nixa tvis.
Caſtoras illa privs cvltv celebrabat inani;
  Svpplicat en cvltv iam meliore tibi,
A te Principivm noſtrae sit, Diva, ſalvtis,
  Sis pariter noſtrae metaqve, dvxqve viae.

SVB IMAGINE DEIPARAE PRIMIGENIAE LABIS EXPERTIS.

XVI

OMNES IN ADAM PECCAVERVNT.

Anagr. puriſs.

PECCAMVS: VNA DEI MATER NON.

PECCAMVS. Qvid enim miſeris, niſi vera fateri
  Reſtat, & aetatis crimina flere ſvae?
Perdita progenies primaevi labe Parentis,
  Heredes cvlpae, ſvppliciiqve ſvmvs.
VNA DEI MATER NON vlli obnoxia cvlpae eſt:
  Dignior vna ſvo nempe Parente Parens.

SVB

SVB IMAGINE SANCTISSIMAE VIRGINIS CONCEPTAE.

XVII

Triftia fvnt aliis, tibi candida limina vitae:
Nvminis hic Matrem nempe decebat honor.
Vicerat antiqvam ferpens malvs ille Parentem;
Mordet hvmvm domitvs nvnc pede, Diva, tvo.

SVB IMAGINE VIRGINIS IN TEMPLO PRAESENTATAE.

XVIII

Templvm Virgo fvbit, fed templo avgvftior ipfo:
Hoc homines, illam condidit ipfe Devs.

SVB IMAGINE VIRGINIS AD ELISABETH.

XIX

Qvot bona fert Virgo, agnatam dvm vifit Elifam!
Vife, precor, noftram fic qvoqve, Virgo, domvm.

SVB IMAGINE VIRGINIS PARIENTIS.

XX

Virgo parens tanto fortvnatiffima Nato:
Terra, polvfqve illi fvpplicat, ipfe tibi.

SVB IMAGINE VIRGINIS AB ANGELO SALVTATAE

Svb Angelo salvtante.

XXI

Virgo Deo iam plena, Deo gratissima, salve:
Annve: concepto Nvmine, Mater eris.

Svb Virgine salvtata.

Ecce ancilla; Deo si stat sententia, fiat;
Qvod ivbet ille, placet; qvo vocat ille, seqvor.

SANCTORVM ALOISII GONZAGAE, ET STANISLAI KOSTKAE E SOCIETATE IESV FACTA PLERAQVE ILLVSTRIA EMBLEMATIS EXPRESSA IN SOLLEMNI APOTHEOSEOS POMPA.

XXII

SANCTVS ALOISIVS GONZAGA.

I

Nvllo cvpiditatvm motv, avt mentis evagatione tentatvr.

Distrahitvr nvmqvam Gonzagae fixa Deo mens:
Tangvntvr nvllis corda cvpidinibvs.
Mortalem rear hvnc, an de Caelestibvs vnvm,
Tam bene qvi mentes aeqvat, Olympe, tvas?

Acri-

2

Acriter innocens corpus excrvciat.

In te cvr tantvm, labis Pver infcie, faevis?
Qvid loqvor? haec non eft faevities, fed amor.

3

Singvlaris ocvlorvm cvftodia.

Femina nvlla vmqvam Gonzagae vifa. Recvfas
Credere? nec Matris viderat ora fvae.

4

Pvellae vmbram ofcvlari refvgit ex lvdi lege.

Ore pvellarem ivffvs, dvm lvderet, vmbram
Tangere, cev vifo territvs angve, fvgit.
Gonzagae memorent alii palmafqve, decvfqve:
Victricem fatis eft hanc mihi noffe fvgam.

5

Ad B. Virginis aram vovet Virginitatem.

Virgineo Svperis placvifti, Diva, pvdore:
Hvnc tibi dvm voveo, Diva, placebo Pver.

6

B. Virginis voce ad Societatem advocatvr.

Matriti orantem caftris dare nomen Iefv
Te, Gonzaga, ivbet Virgo, ivbenfqve ivvat.

7

Principatvm Fratri resignat.

Sceptrvm, & opes Fratri cedit Gonzaga Rodvlpho,
Nobilior positis fascibvs Imperii.

8

Inter noctvrnas preces deficitvr viribvs.

Nocte vigil precibvs qvam longas extrahit horas!
Dvm calet igne animvs, frigore corpvs hebet.

9

Mentem ivbetvr a divinis rebvs avertere.

Parce qveri, Gonzaga, Devm qvod amare vetaris;
Maior ab obseqvio est, qvi bene cessat, amor.

10

Eivs imago manv flagra gerens, & lilia.

Flagra gerit mihi dextra, gerit qvae lilia: menti
Scilicet e fvso sangvine candor inest.

11

Afflatis peste inservit.

Peste laborantvm obseqvio se devovet vltro
Gonzaga, & pvlchra morte perire cvpit.

12

S. Maria Magdalena de Pazzis Aloisii, nondvm in Beatos cooptati, vvltvm pictis radiis ornat.

Addere qvid dvbitem radios? vidi ipsa corvsce
Gonzagam Svperis ore nitere parem.

13

Mvlieri svrditatem, alteri caecitatem avfert.

Haec svrda, hic caecvs prece te, Gonzaga, fatigant.
Nec frvstra: haec avdit protinvs, ille videt.

14

Sacrae lampadis oleo, pver morbo, mater obsidente daemone liberatvr.

Morbvs habet pvervm, matrem malvs hospes averni;
Gonzagae avxilivm tristis vterqve petit.
Ast oleo lychni, ante aram qvi pendet, invncti,
Gonzagae avxilio sospes vterqve redit.

15

Aloisivs Iuventvtis Exemplar, & Patronvs.

Fvnde preces, da tvrea dona: Aloisivs hic est,
Qvem tibi praestitvas, cavta Ivventa, dvcem.
Illivs exemplo, via qvae tvtissima, disces:
Docta viam carpes illivs avxilio.

S. STA-

XXIII

SANCTVS STANISLAVS KOSTKA.

1

Divino amore aeſtvat.

Ferte citi lymphas: divino pectvs amore
  AEſtvat: ardentes temperet vnda faces.
Fallimvr. Affvſa nvllvs reſtingvitur vnda,
  Aſſvetvs lacrymis creſcere divvs Amor.

2

A Pavllo Fratre male divexatvr.

Qva nvnc, Pavlle, manv Fratrem virtvte moleſtvm
  Vexas, hac Fratri ſvpplice tvra dabis.

3

Decvmbenti B. Virgo Divinvm Infantem porrigit, & ad Societatem Ieſv invitat.

Virgo Parens Natvmqve ſvvm tibi, Koſtka, frvendvm
  Exhibet, & Nati svb ſacra ſigna vocat.
Macte hac ſorte, Pver fortvnatiſſime; nam qvo
  Mortali votis altivs ire licet?

4

Societati nomen datvrvs avfvgit domo.

Solvs, inops Patriam nvnc, Stanislae, relinqvis;
  Olim te votis expetet illa ſvis.

Cum

5

.vm mendicvlo vestes commvtat.

Pannoso indvtvs, mendicvm donat amictv
Kostka svo; & cvltv gavdet vterqve novo.

6

Danvbivm sicco pede traiicit.

Instat eqvis Frater: mora flvminis obstat evnti;
Sed flvvivm sicco traiicit ille pede.

7

Tartarevm molossvm fvgat.

Stanislae, canem stygivm cave. Spernit hiantem
Kostka; svi victor, nil timvisse potest.
Neqvicqvam terres ivvenem, canis improbe; nam te
Qvi vicit blandvm, non timet ille servm.

8

Angelorvm ministerio Evcharistia reficitvr.

Qvi te Caelesti recreat dape missvs olympo
Aliger, hic socivm te docet esse svvm.

9

Assvmptae Virginis die emori cvpit.

Lvce sacra tibi, Virgo, mori cvpioqve, precorqve;
Qvae timor est aliis mors, mihi mvnvs erit.

Meri-

10

Moribvndvm B. Virgo evocat in Caelvm.

Virgineo ſtipata Choro te Mater olympo,
Koſtka, vocat: gavdens annvis, & moreris.

11

Hvmi abiectvs optat mori.

Nvda corpvs hvmo moribvndvs Koſtka locari
Expetit, ex hvmili celſior vſqve loco.

12

Leopolim a conflagratione liberat.

Flamma ſvrit: penitvſqve Leopolis ardeat, vrbi
Ni ſvbitam praeſtet Koſtka rogatvs opem.

13

Letali morbo laborantem ſanitati reddit.

Preſſa gravi morbo, & fato vicina, repente
Dvm tva, Dive, colo lipſana, convalvi.

14

Tres pveros, pvteo, flvmine, lacv demerſos eripit.

Amne, lacv, pvteo Pveri mergvntvr; at omnes
Vitae, Koſtka, tva reſtitvvntur ope.



15

Polonis victoriam impetrat adversvs hostivm copias innvmeras.

Innvmeros hostes felici Marte Poloni,
Sed te de Caelo, Kostka, ivvante, fvgant.

XXIV

SVB SIMVLACRO CHRISTI D. IN CRVCE SVFFIXI.

Cvm te, cvmqve tvvm, rervm dvlcissime, pectvs
Aspicio, atqve ocvlis vvlnera cara meis,
Tvnc dolor ex imo revocat svspiria corde,
Et totvm in lacrymas cor abiisse cvpit.
Sed tamen & lacrymis nihil est mihi dvlcivs istis,
Et dolor est animo carior vsqve meo.
Gavdia qvid facient, patrio cvm reddar Olympo,
Si tantvm in terris me beat ipse dolor?

XXV

SVB EFFIGIE S. IOANNIS NEPOMVCENI.

Tvne mevm, Rex, tvne animvm tentare, fidemqve
Speras blanditiis, avt temerare minis?
Eripere hvmano potes hanc e corpore vitam;
Eripere e sacro non potes ore fidem.
Stvlte, fidem, nomenqve mevm nvlla obrvet vnda,
Nvlla tvvm poterit dilvere vnda nefas.

D.O.M.

XXVI

D. O. M.

Christo Regi,
Regvm avspici, largitori felicitatis,
Hospiti amoris, amoris fercvlo
In sollemni Vrbis lvstratione
Festam Aram, trivmphalem pompam
Ordo, Popvlvsqve Neap.
An. CIↃIↃCCXXXVIII.

XXVII

Deo homini,
Mortalivm Convivae immortali,
Vrbem festa svpplicatione lvstranti
O. P. Q. Neap.
Qvisqvis es
Fvnde preces, adde vota, pronvs adora.

XXVIII

REDEVNTE POST DOMITAM SICILIAM CAROLO REGE IN SOLLEMNI POMPA.

CAROLO BORBONIO vtrivsqve Siciliae Regi
Pio, felici, Victori,
Re bene gesta Neapolim redvci
Obseqvia, gratvlationes, plavsvs.

ADVE-

XXIX

ADVENIENTI NEAPOLIM M. AMALIAE REGINAE.

Vive felix, vive div,
CAROLE Rex, M. AMALIA Regina:
Vestra salvs, nostra salvs:
Nodo ivnctos Nvptiali
Boni servent Svperi.

XXX

SVB IMAGINE S. IANVARII IN EADEM POMPA.

Avspice te, sospes Regina advenit: eodem
Avspice te, Regvm, Dive, sit illa parens.

XXXI

Aversae.

Salve o
Regis filia, Regis vxor, Reges paritvra.
M. AMALIAE Reginae
Aversani Cives
Obseqvia, plavsvs, & vota.



XXXII

Io ! Regina,
I Caelo avſpice,
Conſors tori, conſors Regni,
Perpetvae conſors felicitatis.

XXXIII

Carolo Regi, M. Amaliae Reginae,
Nodo ivnctis Nvptiali,
Feſtam pompam, feſtam acclamationem
Pro modo,
Amorem ſine modo
Patricii Averſani.



CLASSIS II.

MONUMENTA.

Neapoli.

I

D. O. M.

Nobilis accedas hvc Parthenopea Ivventvs;
Panditvr ingeniis docta Palaestra tvis.
Hinc regere, & pelagi varia in certamina classem
Instrvere, & toto vincere disce mari.
Sic tegat vt patriam virtvs, ac terreat hostem,
Svbsidivm belli, praesidivmque domi.

Gymnasivm hoc
Ad omnem bellicae rei navalis disciplinam
Legibvs mvnitvm, avctvm honoribvs,
Carolvs Borbonivs vtrivsqve Siciliae Rex
Pivs, Felix
Nobilibvs Ephebis ervdiendis,
Classiqve opportvne praeficiendis
Institvi ivssit,
Qvo Regna feliciter recepta,
Oris maritimis ab hoste tvtis,
Felicivs retineret.
An. Sal. CIƆIƆCCXXXVIII.

Ibidem

II

D. O. M.

CAROLO BORBONIO vtrivſqve Siciliae Rege
Orae maritimae tvendae,
Praedonvm prohibendis incvrſionibvs,
Parata ne deſit claſſis,
Claſſi parandae procincta ne deſit manvs,
Praefectiqve Claſſiariis,
Hac rei bellicae navalis palaeſtra
Selectae Ordinis Eqveſtris ivventvtis
Navticae militiae artibvs imbvendae,
Regio ivſſv, regio ſvmptv, regia magnificentia
Opportvne provifvm
An. Sal. CIƆIƆCCXXXVIII.
Ioſepho Ioachimo de Montallegre ſvpremo Regni Adminiſtro.

Tarenti

III

Carignanorvm Familiae Patriciae Tarentinae
Gentilitivm hoc ſtemma,
Arcvi Carignano, avitae nobilitatis monvmento,
Olim affixvm,
Disiecto deinde arcv
Ob extrvendam Orphanarvm Domvm S. Michaeli dicatam,
Grata pietas hvc tranſtvlit Anno CIƆIƆCCXXX.
Tvm

Tvm tv Lapis
Antiqvvm Carignanae Gentis
Recensqve Francisci Carignani benemerentiss.
Nomenqve, decvsqve
Testare Posteris.

IV

D. O. M.

Arpinum
A Carolo Borbonio vtrivsqve Siciliae Rege
Civitatis ivre donatvm, ac insignibvs avctvm
Anno Chr. CIƆIƆCCXXXXIV.
Testem beneficii, grati animi testem
Lapidem hunc monim. P.
Anno CIƆIƆCCXXXXV.
Arpino dederant Tvlli cvnabvla famam,
Iam decvs a Caroli mvnere maivs habet.

V

Nec fravdi bonis innocentia,
Nec impvne malis cvlpa esto.
Mario Tvfo Vrbis Praetore
Integritas, Fides, Ivstitia
Rebvs praesunt Vrbanis.

Bovini

VI

Villam hanc
Bovinenſivm Dvcvm oblectamentvm
Carolvs Borbonivs Rex
Bis dignatvs hoſpitio
Maieſtate implevit ſva,
Semel an. CIƆIƆCCXXXV. . . .
Itervm an. CIƆIƆCCXXXVI. . . .

Ibidem

VII

Villa eram Rvſtica
Bovinenſivm Dvcvm venationi facta,
Sed Caroli Borbonii Regis hoſpitio bis dignata,
Villa ſvm plvſqvam vrbana,
Regia ſvm Villa.
Ante hac deliciis, tanto nvnc Hoſpite clara,
Iam videor Domino carior eſſe meo.



Tarent.

Tarenti

VIII

Fontem hvnc
Advecto marmore, aqva dedvcta,
Pvblico, praesertim Pavpervm, commodo,
AEre suo construxit
D. NICOLAVS VLMVS Patricivs Tarentinvs,
Civitatis Syndicvs An. CIƆIƆCCXXXIV.
Vtqve perennet beneficivm,
Certvm ad sarta tecta censvm attribvit.
Qvisqvis es
Frvere laetvs, bibe gratvs, abi memor.

Ibidem

IX

D. O. M.

Qviqvi Cives, qviqvi advenae
Adeste, havrite:
Vrbis ornatvi, Pavpervm commodo,
Omnivm vsvi, & oblectamento,
Fontem aere svo adornat,
Annvoqve censv attributo perennat
D. NICOLAVS VLMVS Patricivs Tarentinvs,
Civitatis Syndicvs An. CIƆIƆCCXXXIV.

In pomario Massae Lvbrensis, vbi arida pyrvs Ven. P. Francisci de Hieronymo voce, et ivssv revirvit.

X

Arveram caedenda Pyrvs : Francifce, revixi
Laetior a ivffv, fertiliorqve tvo.

Idem

XI

Francifci virtvte redit vis perdita : frvctvs
Francifco debe, qvifqvis es, & frvere.

Disticha pictvris apposita exprimentibvs qvatvor Anni tempestates.

XII

Ver

Qvid qvereris, qvod Vere brevis fit gratia florvm?
Hic ftabili florvm gratia Vere nitet.

AEftas

Avrea matvris flavefcit frvgibvs AEftas;
Sed ne fit capiti noxia, fole caret.

Avtvmnvs

Avtvmno praebente, vides hic poma: ſed illa
Svnt ocvlos tantvm paſcere nata tvos.

Hiems

Moeret Hiems alibi, nivibvſqve, & frigore triſtis:
Blandior hic omni tempore ridet Hiems.

DISTICHA HOROLOGIIS SVBSCRIPTA:

XIII

HOROLOGIVM TRIPLEX.

Hora ſono, nvmero, geminaqve hic diſcitvr vmbra:
Hora ne te triplici fallere teſte qveat?

Idem

AEra procvl ſonitv, nvmeris prope ferrea lingva,
Solqve notat gemino tempora certa ſtilo.

XIV

HOROLOGIA SCIOTHERICA.

1

Italicvm

Italvs occaſvm ſolis denvntiat vmbra,
Dvm qvota tranſierit temporis hora, docet.

2
Babylonicvm

Oſtendit primvm ſolis Babylonivs ortvm,
Exhibet appoſitis dvm ſva ſigna notis.

3
Aſtronomicvm

Incipit Aſtronomvs nvmeris diſtingvere tempvs,
Dvm Caelvm medio Cynthivs orbe tenet.

4
Ivdaicvm

Antiqvvs totidem, ſed non aeqvalibus horis,
Tempora diſtribvit per dvodena dies.



CLAS-

CLASSIS III.

TITVLI FVNEBRES,

ET

EPITAPHIA.

Neapoli

I

HIPPOLYTAE SPINELLAE
Principvm Filiae , Principvm Matri,
Principis Vxori
[Hem! qvo tandem Hvmana recidvnt]
Ivſta Fvnebria.

II

Occidis Hippolyta, & terras iam debita Caelo
Deſeris : hoc Pietas , hoc tva facta probant.
Nos tamen hev! cvpidoſqve tvi, vidvoſqve relinqvis,
Tam bene qvos concors ivnxerat vſqve Fides:
Nvnc & amoris habeo teſtem, teſtemqve doloris
(Nam qvid adhvc ſvpereſt?) & tvmvlvm, & lacrymas.

Vxori vnanimi bene-meritae
Conivx exanimis bene-memor.

Nec

III

Nec mihi nobilitas, triplici qvam ſtemmate claram
Exhibet hinc Conivx, hinc Pater, inde Parens;
Nec mihi praedives, maiorvm mvnere, cenſvs
Deſvit: eſſe tamen dvcimvs iſta nihil.
Vna mihi Pietas tanti eſt: haec profvit vna;
Hinc decvs, hac certo ſcandimvs Aſtra gradv.

Praeivi moribvs,
Monitis praeeo
HIPPOLYTA SPINELLA.

IV

Qvid me praereptam fato lvgetis acerbo?
[Vix nvmerant anni ter dvo lvſtra mei]
Non eadem eſt annis, eadem Virtvtibvs AEtas;
Me ivvenem, Virtvs plvrima fecit Anvm.

Qvisqvis es
Ne illacrymes ablatae,
Cvi virtvs plavdit lavreatae.

V

Si Genvs, avt Virtvs vmqvam ſvbdvcere leto
Mortales poſſent, viveret Hippolyta.
Extinctam ne rere tamen: qvam malvit ipſa
Par Svperis vitam vivere, vivit adhvc.

Indepta ſcilicet vitam
Exvta mortalitate
Immortalem

Tvmv-

VI

Tvmvlvm ſpectas honorarivm
Hippolytae Spinellae
Svmmis Natalibvs, ſvmmis Virtvtibvs,
Svmmi Viri Conivgio vnanimi
Clariſſimae;
Religione in Devm, vigili prvdentia in ſvos,
Benignitate in pavperes, Hvmanitate in omnes
Eximiae;
Animo nec adverſis fracto, nec ſecvndis elato,
Inter Avlae blandimenta, inter aſpera valetvdinis
Pie, conſtanterqve ſemper immoto:
Tv cave, mortem incvſes acerbam, ſaevam,
Qvod aevo dignam divtvrno
Trieteride vix dvm decima ſvſtvlerit.
Satis div vixit, qvae vixit bene.

VII

Hippolytae
Virtvtis, Fortvnaeqve bonis, raro foedere, ſvmmis,
Qvod Vrbanis in officiis Divini memor obſeqvii,
Domeſticis in cvris orandi addicta ſtvdio,
Seſe rebvs hvmanis
Commodaverit in loco, donaverit nvmqvam;
Qvod divexato ſponte, pieqve corpore,
Refecto Evchariſtica Dape freqvens animo,
Vitae aſperitatem Caeleſti ſvavitate delinierit:
Qvod

Qvod fvpremo conflictata morbo , divtvrno , gravi ,
Nvllo mortis metv , vitae fpe melioris
Erectvm vfqve gefferit animvm ,
Exploratae Virtvtis ,
Exercitae Patientiae
Monvm .

VIII

Hippolytae
Paterno genere ex Principibvs S. Georgii Spinellis ,
Materno ex Principibvs Ariciae , Capva ,
Aloifio Sanfeverino Bifinianens. Principi Nvptae ,
Qvod
In fvmmo rervm faftigio ignara faftigii ,
Cvltvmqve magis animi fectata , qvam corporis ,
Natvrae , fortvnaeqve dotibvs
Non fe devinxerit ,
Sed illas fibi ,
Cvltae Modeftiae
Monvm .

IX

Hippolytae
Nobiliffimi Stipitis inclytae Soboli ,
Qvod
Virtvte fortvnam vbiqve regente ,
Fortvna virtvti femper obfecvndante ,
Svvm Pavperibvs commvne fecerit ,
Solita etiam qvotannis

Egenis tribvs veſte donatis , menſaeqve adhibitis
Matronali comitate ſedvla miniſtrare,
Piae Liberalitatis
Monvm.

X

Svlmone

Fvnebria ſpectas ;
Cvi parentetvr , qvaeris ?
Virtvtvm concentv clariſſimvm
Alvmnvm , Parentem , Patronvm
Virtvtes lvgent ereptvm
GREGORIVM CARDVCCIVM :
Noſti reliqva.
Tv vero
Ni virtvtis es expers,
Siccis ocvlis nē abito.

XI

D. O. M.

GREGORIO CARDVCCIO Pelignorvm Ep.
Meritiſſimo
Ob eivs eximia in ſe merita
Patrono, Avſpici,
Ob inſignes amoris notas
Parenti Optimo,
SOCIETAS IESV
Nvmqvam poſitvra lvctvm
Poſvit.

Iaces

XII

Iaces Gregori !
Hev qvanto mortis crimine,
Qvanto tvorvm gemitv,
Virtvtisqve damno iaces !
Societas Iesv
Tibi
Lvgvbrem hanc pompam,
Testem amoris , testem doloris
Institvit.

XIII

In Templo Domvs Profess. S. I.

Neapoli

D. O. M.

Societatis Iesv amantissimvs
Societati servandvm cor tradit.
Tv Marmor elingve , non excors,
Hoc palam ocvlis explica;
Nomen avribvs indica tantvm,
D. Tiberivs Brancaccivs.

D.O.M.

XIV

D. O. M.

D. DOMINICO ANTONIO CIRILLO Ep. Thean.
Societas Iefv ob eivs egregia in ipfam merita
Sacellvm hoc grati animi argvmento
Gentilitivm addicit:
Nvlloqve iam ex agnatis Cirillis (hev fata!) fvperftite,
Addictvm efto
D. Francifco Piro Marchioni Trilingvae,
Eivfqve in aevvm pofteris virilis tantvm fexvs.
Ipfo D. Dominico Antonio Cirillo petente,
Societate Iefv annvente,
Lapide hoc rei tefte, oblivionis vindice
An. Sal. CIↃIↃCCXLII.

XV

Lacrymas fi negas, ne perlege:
Lapis ifte
IVLIANVM IOSEPHVM DE PALMA,
Thomae de Palma V. I. C. Filivm,
Tegit
Ante lvcem, ne dvm ante diem raptvm,
Nempe LII vix dvm die expleto.
Proh fatvm!
Vel primo ridentis aevi flore, fletvm excvtit.
Amantiffimvs Parens
Patrio amori, Filii cineribvs
Factvrvs fatis
Pectore privs conditvm, condidit & tvmvlo
IV. Kal. Decemb. An. Sal. CIↃIↃCC.

Ivlia-

XVI

IVLIANVS IOSEPH DE PALMA,
Breves Parentvm deliciae,
Altero & qvinqvagesimo vix dvm expleto die
Ab vbere ad fvnvs,
Ab vtero paene ad sepvlchrvm
Acerbo nimivm fato abreptvs,
Hac doloris, & amoris vrnvla continetvr,
Qvam
Maestissimvs Pater Filio dvlcissimo P.
IV. Kal. Decemb. An. Sal. CIƆIƆCC.

XVII

D. O. M.

D. IVLIAE MORRAE Conivgi Cariss.
D. Fabricivs de Silva dolori svperstes
Lapidem hvnc
Amoris indicem, vindicem oblivionis P.
Vixit An. XXXIV. Obiit VI. Id. Maias CIƆIƆCCXVII.



AEser-

XVIII

AEserniae.

D. O. M.

D. Ivlivs de Andrea Saffani Dominvs
Vitam inter adverfa perpetvo actam
AEqvo femper animo, & conftanter immoto
Ad amvffim virtvtis expolivit.
Morte occvpatvs fibi non immatvra, bonis peracerba.
Obiit AEt. An. III & LX. Sal. . . . . .
Viro vnanimi Conivx amantiffima
.... P. Ann. . . . .

XIX

In oppido S. Erafmi ad Nolam.

D. O. M.

Vt qvorvm animos pia ivnxit Sodalitas,
Eorvm cineres eadem ivngat fepvltvra,
Hoc extrvcto fepvlchro provifvm An. CIƆIƆXXXVI
Adminiftrantibvs Sodalitii Rem
D. Io. Baptifta Roffi, & Salvatore de Lavro.



XX

SACERDOS N. N.

Mortalitatis non immemor, memor immortalitatis,
Mortis nec metvens, nec fecvrvs,
Se tvmvlo, fibi tvmvlvm
Vivens parat.
Inanem pofvit An. Sal. CIƆIƆCCXXXIX.
Pleno eft compofitvs Anno Sal. . . . . . AEt. . . . . .
Qvisqvis es
Ne lacrymis decora, prece releva piacvlari.

XXI

In Oppido S. Anaftafiae.

D. O. M.

D. Francifci Xaverii Tvtelaris,
Cvivs obfeqvio extrvctvm facellvm,
Feftvfqve dies follemni pompa facer,
Vt Clientelam
Cineres qvoqve Piorvm fentiant,
Hic ante aram
Sepvltvrae ivs efto
Tvm Ecclefiafticis Sodalitio adfcriptis,
Tvm ceteris, qviqvi fverint, praeclare meritis.
Ita cavtvm An. CIƆIƆCCXLIII.

XXII

Stabiis.

Siccine mors ſeſtina rapit te, Nate, Parentis
Deliciaeqve breves, perpetvvſqve dolor!
Non valvi infelix vitae dare longivs aevvm;
Qvod valeo, aeternvm do tvmvlvm, & lacrymas.

Ivlio Como Filio dvlciſſimo,
Qvatrimvlo è vivis rapto,
Angela Galeota Mater amantiſſima
Maerens, memor P. An. CIƆIƆCCXLIII.

XXIII

D. O. M.

N. N. vita fvnctvs an. . . . .

Qvid moneat Mors picta rogas? ne quaere: doloris
Vvlnera tractari rvrſvs acerba timent.
Perpetvo certe dignvm qvi viveret aevo,
Extinctvm nollet credere Fama virvm.
Perſtat, & ipſa ſvo accedens cev pompa tropaeo,
Fvneris vſqve facit Mors prope ivncta fidem.



Sub imagine

CL. V. IOANNIS BAPTISTAE VICI.

VIcus hic est: potuit vultum depingere Pictor:
O si quis mores posset, & ingenium!

FINIS.



CLEMENS COPPOLA

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS SOC. JESU

In Regno Neapolitano.

CUm librum, cui titulus *Dominici Ludovici e Societate Jesu Carmina, & Inscriptiones*, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultate nobis a Patre nostro FRANCISCO RETZ Præposito Generali communicata concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Neapoli die 14. Sext. CIↃIↃCCXLVI.

Clemens Coppola.

EMI.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

PIetro Palumbo Stampatore supplicando espone a V. Em. come desidera dare alle stampe un Libro intitolato *Dominici Ludovici e Societate Jesu Carmina*, & *Inscriptiones, Opus Posthumum*. Per tanto supplica la benignità dell' Em. V. commetterne la revisione; e l'averà a grazia, ut Deus &c.

Rev. D. Jacobus Martorelli Græcæ Linguæ Professor in Reg. Univers. Neap. revideat, & in scriptis referat. Datum Neap. ex Palat. Archiep. hac die 4. Novembris 1746.

Can. Th. Rogerius pro Illustriss. Dom. Can. Dep.

PAuci admodum poeticam artem ad sacra vel saltem ad τὰ ἀδιάφορα avertere student, tamquam elangueat atque emortua sit, nisi si inter ἐρωτικὰ circumscribatur: *P. Dominici Ludovici Soc. Jesu Carmina* omnis venustatis plena sunt, dictionemque purissimam, ac tersissimam servant, quamvis eorum materies ab nimia εὐτραπελία abhorreat: qui enim egregie eam artem callet, in quovis argumento recte exercet. Jure igitur Auctor ab præcellentibus Viris appositis carminibus commendatur: atque, ut in lucem prodeant, omnino est comprobandum. Prostrid. Idus Nov. CIƆIƆCCXLVI.

Jacobus Martorellius.

Attenta relatione Domini Revisoris Imprimatur. Datum Neap. ex Palat. Archiep. hac die 19. Novembris 1746.

Can. Giordano pro Ill. Domino Vic. Gen.

Canonicus Th. Rogerius pro Illustriss. Dom. Can. Dep.

S. R. M.

SIGNORE.

Pietro Palumbo pubblico Stampatore con supplichè espone alla M. V., come desidera dare alle stampe un Libro intitolato *Dominici Ludovici e Societate Jesu. Carmina, & Inscriptiones, Opus Posthumum*. Per tanto supplica V. M. a degnarsi di commetterne la revisione per ottenerne le solite licenze, e l' averà a grazia, ut Deus &c.

Admodum Rev. D. Jacobus Martorelli in hac Regia Studiorum Universitate Professor revideat, & in scriptis referat. Neap. die 5. Mensis Martii 1746.

G: Galianus Archiep. Thessal. Cappell. Major.

Carmina *P. Dominici Ludovici S. J.* nativa atque incorrupta Romani sermonis integritate conscripta τὸ σαφὲς καὶ τὸ ξενικὸν, duo præcipua ornamenta, quæ poeticæ dictioni sapientissimi viri inesse volunt, ubique præseferunt; & miratus sum illum reipsa cuncta sapienter scripsisse quæ cogitavit, & diligentissime cogitasse quæ scripsit, uti de duumviris Tibullo & Propertio Muretus scivit; quæ sollemnis est laus Societatis Viris, qui poeticam elegantiam atque eruditionem operibus numquam interituris commendarunt. Minime vero refugienda est horum Carminum ἔκδοσις, cum regalis juris nulla in iis mentio; & mores bonos ubique adolescentibus inculcent; & futura sint omnibus qui poeticen colunt longe gratissima. A. d. III. Idus Novemb. CIↃIↃCCXLVI.

Jacobus Martorellius
Græcæ Linguæ Interpres Regius.

Die